DE POSTERIORE

SCHELLINGII PHILOSOPHIA

QUATENUS

HEGELIANÆ DOCTRINÆ ADVERSATUR

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

PROPONEBAT

Victor DELBOS

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

NUNC IN LYCEO HENRICI QUARTI DICTO PHILOSOPHIÆ PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA,

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

MCMII

ERUDITISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO VIRO

VICTORI BROCHARD

ACADEMIÆ SCIENTIARUM MORALIUM ET POLITICARUM SOCIO

IN UNIVERSITATE PARISIENSI PHILOSOPHIÆ PROFESSORI

PARVULUM HOC DEVOTISSIMI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

PROŒMIUM

Ea quæ vulgo dicitur posterior Schellingii philosophia postrema jure nuncupari possit, modo hoc attendas, Schellingium sæpius jam, priusquam eo pervenerit, sententiam plus minus mutavisse. Etenim cum philosophiam naturæ nondum instituisset, fichtianam doctrinam assecutus erat; quin etiam illam jam suam nunc hoc, nunc illo modo exposuit. Quare existimari possit hanc novissimam philosophiam ultimam esse mutationem doctrinæ in semet ipsa male quiescentis. Sed si res aliter aspicias, hæc philosophia merito posterior vocatur. Nempe, secundum Schellingium, altera est duarum partium, e quibus tota constat philosophia. Prior enim pars, quæ sola imperfecta est, cum per illos exstat, qui putant totam doctrinam e ratione pendere, tum per ipsum Schellingium, qui prius quam qui maxime omnia secundum rationem protulisset. Hoc præcipue philosophi illi et Schellingius distant, quod ita hanc philosophiam informabant, ut nihil intactum omittere videretur, Schellingius autem eamdem ita fingebat, ut, dum sese ipsam explicat, ostenderet necesse esse altera etiam existat disciplina.

Hæc tamen posterior Schellingii philosophia diutius neglecta jacuit, quam ne in Germania quidem philoso-

phiæ historici inquirebant. Quod fortasse evenit, non solum quia parum pressa est et ad intellegendum difficilis, sed etiam quia hegelianam doctrinam ante omnia lacessit et increpat. Plerique autem eorum, qui media priore ætate philosophiæ historiæ studebant, Hegelio quodam modo assentiebant; ab injuria magistro illata pænas repetebant aut tacendo, aut, si forte de ea re loquerentur, breviter et superbe infensam doctrinam respuendo. Quod quidem plane significat Eduardus Zellerius, cum in illa germanicæ philosophiæ historia, quam auctore rege Bajoariorum conscripsit, eam, quæ apud Bajoarios crevit, disciplinam reprehendit, utpote reconditæ et inani scholasticæ et tenebrarum plenæ theosophiæ indulgentem [1]. Ceteri autem, quibus aliquid superest, quod intellegi possit, contendunt hoc ex priore Schellingii philosophia etiam redundare aut ab hegeliana disciplina depromptum [2].

Hodie vero non ii sumus, qui hanc posteriorem philosophiam prætermittere aut paucis verbis improbare possimus. Non quo velimus illam nimia admiratione amplecti, quæ apud quosdam patet [3]. At illam nobis æquum esse videtur, nec fortasse supervacuum, oculis

1. Ed. Zeller, *Geschichte der deutschen Philosophie seit Leibniz*, 2te Auflage, 1875 : « Eine wortreiche, verworrene, abstruse Scholastik, ein unerquickliches Gemenge aus spekulativen, ihren Hauptbestandtheilen nach seiner früheren Philosophie entnommenen Ideen, trüber Theosophie, willkührlich gedeuteten Bibelstellen und kirchlicher Dogmatik. » p. 561.

2. K. L. Michelet, *Entwickelungsgeschichte der neuesten deutschen Philosophie mit besonderer Rücksicht auf den gegenwärtigen Kampf Schellings mit der Hegelschen Schule*, 1843, p. 178-179 : p. 217-218. — Ferdinand Christian Baur, *Geschichte der christlichen Kirche*, 5ter Band, 2te Auflage, 1877, p. 404-405.

3. Constantin Franz, *Schelling's positive Philosophie*, 1879-1880. — Friedrich Schaper, *Schellings Philosophie der Mythologie*, 1893; *Schellings Philosophie der Offenbarung*, 1894.

subjicere. Fatemur quidem Schellingium in hac potissimum parte nimis argute et verbose, quid sentiat, aperire, et multa, quæ in irritum cadant, excidere. Sed, dum Hegelium respicit et redarguere studet, non pauca excogitavit, quæ legentem detinent et momentum habent. Illam igitur schellingianam philosophiam ita evolvere nobis placet, ut diligenter ea, quæ non ad hæc et ejusmodi alia pertinent, arceamus.

DE POSTERIORE

SCHELLINGII PHILOSOPHIA

CAPUT PRIMUM

QUOMODO SCHELLINGIUS ET HEGELIUS, VEL CUM CONSENTIEBANT, II ESSENT, QUI POSTEA DISSENTIRENT

Non est quod mireris Schellingium olim professum esse se ab hegeliana doctrina abhorrere, cum ipse Hegelius diu jam antea in præfatione *Phænomenologiæ mentis* palam Schellingii doctrinam dimiserat. Sed cum Hegelius a Schellingio discrepuit, consensum nullum jam esse significavit, qui, cum re ipsa esset, tamen non ita verus et arctus erat.

Illos primum convenisse patet e quibusdam epistulis ultro citroque missis, deinde ex hoc opere « *Kritisches Journal der Philosophie* » ita in commune edito ut disceptatum sit utrum illud « *Ueber das Verhältniss der Naturphilosophie zur Philosophie überhaupt* » a Schellingio annon compositum fuisset, denique ex hoc Hegelii scripto « *Differenz des Fichte'schen und Schelling'schen Systems der Philosophie* » (1801). Præsertim

legas quæ Hegelius scripsit, ut doceret adversus Reinholdum, qui schellingianam philosophiam a fichtiana tantummodo et circiter ortam esse asseveraverat, illam sui juris et mancipii esse. In hoc loco ostenditur quomodo Fichtius, postquam primum principium identitatem subjecti et objecti esse jure intellexit, hanc tamen demum sub specie subjecti concepisse, ita ut non verum quid solidum sit, sed tantum idea, ad quam semper progrediendum, quam vero assequi plane non queamus[1]; hoc contra proprium est schellingianæ philosophiæ, quod identitatem illam ita profitetur, ut neque præpotenti subjecto neque præpotenti objecto inserviat, nec, dum disciplina adolescit aut perficitur, deleatur. Sequitur ut Absolutum, cum manifestum fit, naturæ et menti juxta insit et duas res vere inter se oppositas colligat. Inde existunt duo disciplinæ, scilicet philosophia naturæ et transcendentalis idealismus, quæ, quamvis abstrahendo diversæ sint, tamen sibi auxilium ferentes in unum coalescunt, ex eo quod, ut ait Spinoza, ordo et connexio idearum idem est ac ordo et connexio rerum; quarum nulla neque sibi sufficiens stare, neque alteram tollere potest. Valuit enim Schellingius totum uno inspectu amplecti, nedum frustra, ut Fichtius, partes disjectas in unum adducere tentaret[2].

Tunc igitur Hegelius schellingianam philosophiam omnino probare videtur, quam eadem diligentia tuetur ac si ipse condidisset. Attamen jam nunc nescio quid peculiare et externum subit; quod quidem deprehen-

1. « Das Princip, das Subject-Object, erweist sich als ein subjectives Subject-Object. » *Hegel's Werke*, 2te Auflage, I, p. 159. — Vide etiam : p. 207-211, p. 216-217, p. 244.

2. *Ibid.*, p. 244-266.

ditur, cum Hegelius non soluto genere dicendi utatur, immo imperatoria quadam brevitate res commendet et proprias quasdam sententias interdum in medium proferat. Scilicet in Absolutum magis penitus admittitur illud ipsum, per quod subjectum et objectum dissimilia apparent; porro Absoluti est differentia, non indifferentia. Absolutum enim differentia carens, ut ait Hegelius verba jam nunc usurpans, quæ postea in Schellingium repetet, simillimum nocti videtur[1]; absolutam igitur differentiam tanquam ex ipso Absoluto ortam necesse est explanes.

Ceterum falsi sunt qui, ut mos est, Hegelium suam philosophiam e schellingiana hausisse et tantummodo ratione et via produxisse putent[2]. Verbis et sententiæ Hegelii nimis relligiose inserviunt, qui postea, ut suum intellegendæ historiæ genus probaret, asseveravit suam doctrinam eam esse, quæ schellingianam disciplinam et tollere et in se absumere eadem posset[3]. Hoc enim illos fugit, Hegelium, antequam cum Schellingio cottidie conversaretur, sibi jam solidam doctrinam finxisse, cujus principia quædam maxime eminentia in ejusdem absolutam doctrinam migravere[4]. Hæc autem magna ex parte cum e græcis, tum e christianis sententiis constabat. Primum enim eo præditus erat ingenio, ut mundum et

1. « Das Absolute ist die Nacht, und das Licht jünger als sie, und der Unterschied Beider, so wie das Heraustreten des Lichts aus der Nacht eine absolute Differenz. » *Ibid.*, p. 173. — Vide etiam, p. 197.

2. « Die Philosophie Hegels ist eine kritische Umgestaltung und Fortbildung des schellingschen Identitätssystems. » Ueberweg-Heinze. *Grundriss der Geschichte der Philosophie*, III, 2, achte Auflage, 1897, p. 47.

3. Vide quæ de his Lucianus Herr, in opere quod « *Grande Encyclopédie* » nuncupatur, scripsit. XIX, p. 999.

4. Rosenkranz, *Hegel's Leben*, 1844, p. 94-98. — Haym, *Hegel und seine Zeit*, 1857, p. 62-123.

res omnes et vitam humanam uno tenore cohærentes excogitaret; deinde ratus eos, qui ratione tantum freti positivam religionem aversantur, utpote prava superstitione inquinatam, nescire, quo pertineat et quid sibi velit historia, christianam doctrinam, quanquam antea minore studio evolverat[1], retinuit, quippe quæ doceat vita et amore hominem fluxa et finita superantem Æternum et Infinitum assequi; paulatim et tanquam invitus intellexerat per unam metaphysicam ea quamvis contraria congruere posse; et quanquam prius professus erat conceptum per se ipsum nihil proficere, nunc tamen conceptu utebatur, ut ea complecteretur. Jam enim hæc prior disciplina ejus modi erat ut quidquid existit et cogitatur certo ordine nexum effingeretur, nedum temere dissociatum hiaret; qua proprie patebat Absolutum in mente esse, ita ut quod Græci κόσμον et quod Christiani vitam infinitam appellant in unum coalescerent. Denique eadem ostenderat mentem non extemplo in esse, sed potius in fieri positam, atque ad ultimum se perficere non posse, nisi dialectica ratione quadam ab indeterminato ad determinatum progrediatur.

Non igitur imprudens et jejunus, sed consilio et jam satis instructus, Hegelius ad schellingianam tuendam doctrinam sese accinxerat; nempe in ea sensit aliquid inesse, quod cum suis sententiis congrueret, quod tamen in altera parte sibi deesset, scilicet artem disputandi et disserendi ut philosophum decet. Etenim in rebus inveniendis adhuc aliter se gesserat atque Schellingius. Cum Schellingius principio in illo proprio philosophorum genere exercitatus et e vere dicta doctrina, videlicet fich-

1. Haym, *op. cit.*, p. 58, p. 474-483.

tiana, ortus esset, quam paulatim tantum omiserat, Hegelius a genuino et propiore rerum omnium intellectu profectus est, ad quem tum admiratione Græcorum ingenii, tum theologicis studiis adductus fuerat [1]. Præterea Schellingius non eadem semper via pergit propter alacritatem et tanquam æstuantem mentis impetum; diutius in eodem doctrinæ genere commorari non potest, cum sententiam mutare quam perficere malit. Hegelius contra eodem incumbere studet; non is est, qui adumbratam tantum inchoet doctrinam, sed illam coagmentet. Quod si uterque mundum animo concipit pulchri studio quodam instinctus, non ideo ejusdem pulchri speciei studiosus est; hic enim arti romanticæ favet, qua ingenium præsertim patet, ille autem arti classicæ, qua abolescit quidquid artificem ipsum nimis declarat, et quæ significare tentat, quam apte opus cohæreat [2].

Multæ inde exstiterunt causæ cur illi duo philosophi aliquando dissentirent. Ut supra diximus, tacito quodam modo inter se dissidebant, vel cum maxime concordes esse viderentur. Quamvis enim Hegelius se Schellingio addictum esse ostenderet, libenter aiebat necesse esse singula quæque excuterentur, priusquam in unum

1. Vide ea quæ Hegelius Schellingio scribebat (1800) : « In meiner wissenschaftlichen Bildung, die von untergeordnetern Bedürfnissen der Menschen anfing, musste ich zur Wissenschaft vorgetrieben werden, und das Ideal des Jünglingsalters musste sich zur Reflexionsform, in ein System zugleich verwandeln. » *Briefe von und an Hegel*, 1887, I, p. 27.

2. « Wenn grosse Künstler ein Werk vollenden, so kann man sagen: so muss es sein : das heisst, des Künstlers Partikularität ist ganz verschwunden und keine Manier erscheint darin. Phidias hat keine Manier ; die Gestalt selbst lebt und tritt hervor. Aber je schlechter der Künstler ist, desto mehr sieht man ihn selbst, seine Partikularität und Willkür. » Hegel, *Grundlinien der Philosophie des Rechts*, 2te Auflage, 1840, VIII, p, 51.

Vide quæ alias de Schellingio et Hegelio inter se collatis scripta sunt : Rosenkranz, *op. cit.*, p. 63-64.

redigerentur; ita suam delineabat methodum, qualis futura esset, cum adeo ille verbis potius quam rebus, nihil exactum referens, suam philosophiam evolvebat, et jamjam, quo magis eam novaret, in sententias a ratione alienas deflectere parabat [1].

Præterea eodem tempore externæ accesserunt causæ, quibus impulsus est Hegelius ad respuendam schellingianam doctrinam. Primum enim, cum urbem, in qua uterque degebat, Schellingius reliquisset, Hegelius ejusdem tutelam, ut ita dicam, deposuit; deinde, dum prælectiones suscipit, quibus totam philosophiæ scientiam complecti studet, id molitur, quo melius discipuli doctrinam arripiant, ut methodum sibi instruat, quæ simul et ad universum spectet et singula quæque recolligat subjiciatque. Tandem eum jam non Schellingii esse palam patuit ex illa *Phænomenologiæ mentis* præfatione, quæ, ut facete quidam dixit, ita inscribi potuisset : « *Differenz des Schelling'schen und des Hegel'schen Systems der Philosophie* » [2].

Quippe in hoc scripto duo præcipue Schellingio objiciebat, licet illum ipsum non nomine appellaverit. Primum ea est Schellingii philosophia, quæ ἐσωτερική sit, et inusitatas ingenii dotes afflatumque quemdam requirat, quæ denique, cum in scientiæ quoddam corpus se erigere nequeat, totam omnibus se dare obviam non possit. Sane quidem concedendum est illam, per duo sententiarum genera, quorum unum ad naturam, alterum autem ad ideas spectat, omnia in ordinem digeri contendere; verum ita nimia simplicitate utitur et arbitratu suo cuncta effingit. Pictorem dicas, cui duo solum suppetunt colores,

1. Haym, *op. cit.*, p. 211-213.
2. Haym, *op. cit*, p. 215.

ruber unus, viridis alter, et qui unum, ut factum quoddam ex historia desumptum repræsentet, alterum autem, ut ruris simulacrum referat, adhibet [1]. Tempus autem adest, cum philosophia scientia mera esse ipsa debet et omittere quidquid inani excogitationi et somniis aut vaticinantium carminibus simile sit, ita ut in evolvendis rebus imprimis polleat certum in modum ὁ ὅρος [2]; tantum abest ut liceat primum principium statim protrudi, ut contra oporteat ostendere, qua philosophiæ et historiæ necessitate illud potissimum eminuerit et omnia sibi obnoxia effecerit [3]. Inde fit ut doctrina illa sit ἐξωτερική, absit verbo invidia, videlicet ad artem et præcepta decidere possit.

Deinde hæc Schellingii philosophia Absolutum habet pro quodam universali, sed abstracto, discriminis experti, ita ut non sit tanquam lumen, quo fines corporum exstant, sed tanquam nox, qua omnia eadem caligine merguntur et qua, ut apud Germanos in proverbium cessit, omnes vaccæ juxta nigræ videntur [4]. Contra, ubi Absolutum, non pro substantia, sed pro subjecto habetur, tale demum esse potest, si reipsa fiat, id est si differentiis constet [5].

Ita censebat Hegelius. Schellingio autem non parvam exspectationem attulerat opus editum, in quo sperabat fore ut tanquam magister discipulum edocens appareret [6]. Cum vero librum accepit et præfationem oculis delibavit, spe lapsus, stomachatus, multo post tantum

1. *Phänomenologie des Geistes*, 2[te] Auflage, 1841, Vorrede, p. 39.
2. *Ibid.*, p. 6-12.
3. *Ibid.*, p. 21.
4. *Ibid.*, p. 13.
5. *Ibid.*, p. 14-20.
6. *Aus Schellings Leben. In Briefen* (1869-1870), II, p. 112.

Hegelio præcise respondit [1] ; inde nullæ postea inter se epistulæ, amicitia nulla [2].

Quoad quidem mortem obiit Hegelius, Schellingius sermone et epistulis tenus, non tamen scriptis hegelianam disciplinam lacessivit. Illo autem defuncto, eam in haud ignota præfatione indagavit et carpsit [3], at non illa fretus priore philosophia, quam Hegelius cognoverat et olim tutatus erat, sed posteriore illa, quam tandem sibi adsciverat ; quam quidem, qualis in universum sit, restat ut evolvamus.

1. *Ibib.*, II, p. 123-124.

2. Multo posterius (1829) Schellingius et Hegelius in conspectum unus alterius venerunt : quomodo res acta esset, uterque in epistulis narravit. — *Aus Schellings Leben*, III, p. 47. — *Briefe von und an Hegel*, II, p. 326, p. 330, p. 331. — Rosenkranz, *G. W. Fr. Hegels Leben*, p. 367.

3. *Vorrede zu einer philosophischen Schrift des Hrn. Victor Cousin*, Sämmtliche Werke, I, x, p. 201-224.

CAPUT SECUNDUM

QUID IN POSTERIORE SUA PHILOSOPHIA SCHELLINGIUS AD SUMMAM SENSERIT

Hoc primum est proprium illius posterioris schellingianæ philosophiæ, quod se ipsa positivam, negativas autem, tum priorem Schellingii philosophiam [1], tum ceterorum disciplinas vocat. Porro quid inter negativam aut positivam doctrinam interest?

In omni scilicet re duo sunt cognoscenda, primum quid sit, deinde quod sit. Aristoteles adeo de cognoscendis rebus τὸ διότι (*das Was*) extra τὸ ὅτι (*das Dass*) seposuerat. Cum enim id agitur, ut sciamus quid sit res, rationis est dijudicare; nempe natura tendit ratio essentias percipere et ens tantummodo definire, qualenus cogitatione decretum sit [2]. Sed peccavit adhuc omnis philosophia, quod ens secundum essentiam in ens extra intellectum positum converti posse existimabat, cum ratio quidquam existere nullo modo docere possit, immo nihil ad id prosit. Ergo plurimum interest, semel cons-

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 123-125. — *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 86.
2. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 57-59.

tituta philosophia, in qua de essentiis agitur, philosophiam superesse alteram, quæ de existentia agat, quæ reipsa talis sit, neque tantum intellectu conficta. Vulgo dicitur omnia et principium et finem e ratione habere, vel ens ad cogitationem penitus posse redigi. At id verum est, rationem, ut jure scientiæ opus inchoare, ita illud absolvere non posse, neque, quoniam cogitatio sit, ens ideo existere, immo, quoniam ens existat, cogitationem ipsam esse[1].

Quo pacto igitur positiva philosophia negativam hinc excludere, illinc perficere valet?

Videtur Schellingio philosophiam negativam seu rationalem, dum nascitur et adolescit, vix satis constanter explicari; quod cum illam prætereat, eadem sæpissime positivæ philosophiæ decus et dignitatem sibi asseruit. Existentiam enim ut affirmet nititur; quo suscitatur et promovetur. Sed finis, ad quem vergit, illi, dum sua via pergit, impervius usque manet. Inde necesse est intra suos terminos coartetur, et alteram disciplinam oriri et sui juris esse patiatur. Ens enim, quod ab initio positivæ philosophiæ ponitur, non id est, quod extra cogitationem relative, sed absolute sit; quod si, utpote ens, cogitationi quodam modo obnoxium esset, necesse esset illud moveretur; quo negativa philosophia rursus appareret.

Sibi igitur duæ philosophiæ paulatim occurrunt, sed potius deinde diversæ exeunt. Occurrunt quidem, quod terminus, ad quem negativa philosophia procedit, idem esse videtur ac terminus, a quo oritur positiva; diversæ autem exeunt, quod terminus ille tantummodo cogita-

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 171. — *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 171.

tioni inest. Porro positiva philosophia nihil nisi absolutum quidquam prius profiteri potest, quod se ipsum libero decreto declaret, ita tantum cognoscendo, si res per experientiam et *a posteriori* spectes [1].

Sed priusquam latius, quid inter duas philosophias sit, doceamus, non supervacuum videtur inquirere, quas ob causas Schellingius illas tandem diversas habuerit.

Certo quodam tempore ea potissimum fuit Schellingii cura, ut trans pantheismum exsurgeret, et, quomodo Deus persona ipse sit, demonstraret. Quod si eo mens ejus spectaverit, id ulla ex parte evenit, cum multa e mysticis scriptis Boehmii et Baaderi mutuabatur. Tunc librum condidit, qui « *Philosophische Untersuchungen über das Wesen der menschlichen Freiheit* » inscribitur (1809) [2]. Jam paulo antea in illo opere inscripto « *Philosophie und Religion* » (1804) mundum effinxerat tanquam e Deo delapsum. Nunc autem, quod adhuc sub specie rationali et abstracta conceptum erat, videlicet divinæ existentiæ identitas, tanquam mobilis et in processu vita quædam exponitur. Etenim in eo Schellingius insistit, ut necesse sit, cum Deus sit causa sui, in Deo ab effectu causam esse distinctam; contendit igitur oportere existentiæ divinæ principium, utpote a Deo dissimile, inspici. Hoc porro divinæ existentiæ principium nihil aliud est quam natura, scilicet potentia voluntasque existendi, quæ quidem est quasi cæca neque sui conscia ; hoc, inquam, principium est sui ipsius gignendi appe-

1. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 127.

2. Plerique eorum, qui de schellingiana philosophia scripserunt, Schellingius etiam ipse, tractatu de libertate initia posterioris doctrinæ posita esse existimaverunt. — Constantin Franz, *Schellings positive Philosophie*, I, p. 29. — *Aus Schellings Leben*, II, p. 156. — *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 338.

titus, qui ante et extra intellectum est, intellectum tamen studio quodam prosequitur. Quatenus igitur hic appetitus fit intellectus, naturam discriminat : quo individui nascuntur. Denique, cum Deus inter se et secum individuos malo sejunctos conciliet, caritas merito appellatur, et se ipse ut persona perficit[1]. Dum hæc et alia hujusce modi Schellingius profert, se rebatur etiam res intra rationis terminos includere; existimabat hoc agens se Deo tantummodo principia accommodare, quæ in philosophia naturæ antea præpollebant. Sed manifestum est hunc rationalismi exaugendi modum adversus rationalismum ipsum denique ostendi posse. Nunc quidem ita, non omissa priore disciplina, quidquid quidam objiciebant, et ante omnes Jacobius, unde redargueret Schellingius habebat; qui schellingianam philosophiam incusabant, utpote naturalismo, pantheismo et atheismo addictam. Libenter autem pronuntiabat Deum A et Ω simul esse, id est principium et finem, illum autem, ut principium, a se ipso, ut fine, dissimilem, Deum enim primo implicitum esse, deinde explicitum[2]. Sed, quemadmodum videtur, non his utebatur Schellingius, ut duo disciplinarum genera diversa admitteret, quibus diverse Deus intellegeretur; tantummodo studebat processum quemdam significare, per quem ab initio ad exitum ens progrederetur. Verum, ut philosophiam novissimam sibi compararet, cogebatur mysti-

1. *Philosophische Untersuchungen über das Wesen der menschlichen Freiheit*, I, VII, p. 357-364, p. 394-403. — A. Weber, *Examen critique de la philosophie religieuse de Schelling*, 1860, p. 13-28. — Victor Delbos, *Le problème moral dans la philosophie de Spinoza et dans l'histoire du spinozisme*, 1893, p. 416-434.

2. *Denkmal der Schrift von den göttlichen Dingen des Herrn Jacobi*, I, VIII, p. 81.

cismum a rationalismo segregare, quos ita peculiariter congruentes habuerat[1]. Fortasse, cum animadverteret qualis apud Hegelium evasisset rationalismus, reconditus videlicet et aridissimus, intellexerat inane opus suscipi, si quis rationem cogat ea pronuntiare, quæ vitæ et rebus ipsis quidem, logicæ vero non consentanea sint. Inde contendebat in ente inesse aliquid, quod rationis expers sit ; inde etiam sperabat fore ut meram de Deo nostro doctrinam, christianam scilicet, confirmaret.

Nunc autem ad ea redeamus, quæ, quomodo duæ phiphilosophiæ inter se conjungantur, explanent.

Quo illa melius intellegamus, necesse est notionem exponamus, quæ variis temporibus in schellingiana philosophia magni momenti fuit, id est potentiarum notionem[2]; quæ penitus arte haerebat iis, quæ statim Schellingius de mundo, tamquam sine ulla intermissione mobili et quasi lubrico, senserat. Ita subjecti et objecti identitas, qualem excogitaverat, in mundo non absolute, sed relative, fit manifesta; nempe, quanquam subjectum et objectum semper inter se nectuntur, tamen hoc diversis gradibus evenit, ita ut mundus secundum certam legem e maximo objectivitatis statu ad maximum subjectivitatis statum procedat. Hi adeo gradus vocantur potentiæ. Quæ sic fingitur potentia non ita ab eo discrepat, quod Aristoteles δύναμιν appellabat, qualenus unus quisque gradus altiores etiam gradus præparat et unde amplius instituantur subjicit. Quan-

1. Cf. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 124-125.

2. *Ideen zu einer Philosophie der Natur, Zusatz zur Einleitung* I. II, p. 66-67. — *System der gesammten Philosophie und der Naturphilosophie insbesondere*, I. VI, p. 209-214. — *Stuttgarter Vorlesungen*, I, VII, p. 427-428. Eduard von Hartmann, *Schelling's philosophisches System*, 1897, p. 118-136.

quam alius est potentiæ accipiendæ modus. Etenim, quo magis illam potentiæ notionem Schellingius adhibebat, hac eo magis ita usus est, ut indicaret quomodo infinitum subjectum in speciem quamdam objecti vertat, deinde ad se redeat, ut id hauriat, quod in novam rursus objecti formam transeat, usque eodem modo, donec subjectum et objectum adæquatione quadam tandem conflentur. Sequitur ut hinc unitas sit, illinc vero in ea fiant mutationes et processus. Quæ potentiæ notio, qualem Schellingius habuit, semina quædam et philosophiæ hegelianæ continet, cum hæc peculiari quadam adhibita dialectica arte, de certo conceptuum progressu ad novas determinationes loquatur, et schopenhauerianæ, cum hæc mundum, tanquam voluntatem in speciem objectorum immissam, interpretetur [1].

Quare philosophia, modo Schellingio credas, ante omnia debet, ut ab initio res capiat, definire quid esse sit ante ens ipsum ; quod nihil aliud esse potest atque infinita existendi potentia, videlicet id, quod tale est, ut postea ad actum progredi possit [2]. Porro hanc infinitam existendi potentiam nihil melius repræsentat quam voluntas ; quæ ita concepta potentia est κατ' ἐξοχήν. Inde fit, ut quidquid existit voluntatis sit particeps. Velle est totius rerum naturæ fundamentum [3]. Attamen hæc, in se spectata, voluntas tantummodo est τὸ δυνάμει ὄν vel τὸ μὴ ὄν, quia primum videtur indeterminata ; eam primam cogitabilem esse dicas ; profecto ea, ut Spinozæ verba referamus, id est, cujus conceptus non eget

1. Kuno Fischer, *Geschichte der neuern Philosophie*, Jubiläumausgabe, VII, p. 561.
2. *Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 204-205.
3. « Wollen ist die Grundlage aller Natur ». *Ibid.*, p. 207.

conceptu alterius rei. Sed ne nos fugiat illud entis ita finitum genus non id esse quod plenum sit et integrum; nempe in eo inest στέρησις quædam [1].

Contra est, huic primæ potentiæ oppositum, merum esse, id est potentia carens, vel ab objecto detractum subjectum, aliis verbis, actus purus. Quemadmodum infinita existendi potentia cum voluntate adhuc quieta conferri potest, ita illud esse merum cum voluntate a semet ipsa alienata et tamquam in actum inclusa; quo tollitur omnis appetitus. Inde fit ut, cum prima potentia mera sit possibilitas, secunda autem certa et absoluta necessitas sit [2].

Hæ duæ species profecto non una extra alteram usque esse possunt. Quomodo autem intellegi potest illas jam cognatas haerere? Primum, ut concordia eveniat, reputandum est, neque infinitam existendi potentiam, neque existentiam puram substantiam quamdam in se positam habendam esse, sed utramque ad idem spectare. Idem dicas nunc tanquam existendi potentiam, nunc tanquam esse merum apparere. Hoc enim significat duas primas potentias quodam modo solum, sed non penitus et omnino inter se discrepare. Tertia igitur species concipienda est tanquam a nuda existendi potentia et a nudo actu soluta. Vel potius, quo magis expresse rem enucleemus, ea est quæ in se potentiam jam non actui infensam, actum vero jam non potentiæ infensum conciliet. Quod si infinita existendi potentia etiam subjectum vocatur, purum autem esse objectum, tertia illa

1. *Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 204-210. — *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 288.

2. *Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 210-217. — *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 288-289.

species jure subjecti et objecti indivisa unitas nominari potest. Ea est quæ in se ipsa dominetur vel quæ se ipsam determinet. Hic possibile expletum est, sed possibile tantum.

Etenim eæ omnes potentiæ quidquid excogitandum sit præbent, ut ens concipiatur; sed tantum id sunt quod, ut verbo utamur non ita græco, quod usurpavit ille Aristotelis commentator Alexander, ὑποκείμενα τῆς ὀντότητος dicas[1]. Porro parum habet philosophia dixisse in universum esse; id requirit etiam, quod reipsa est et omnino in re determinatum videtur[2].

At hoc non protenus neque per semet ipsas illæ potentiæ assequuntur; quarum vinculum, utpote aliquid proficiens, merito mundi animam nomines[3]. Ostendit igitur Schellingius quomodo, si ea, quæ ad theoriam pertinent, inspicias, exoriatur idearum mundus, in quo τὸ εἶδος res antecedat[4], deinde, si vero quæ ad practicam, quomodo quod a philosophis « ego » appellatur per actionem illam, quam fichtiana disciplina tam egregie designavit[5], contra Deum surrexerit et illam a tragicis poetis in Promethea fabula celebratam vitam inchoaverit[6], deinde etiam quomodo unus quisque homo, dum felicitati studet, eam legem admittere coactus sit, qua unus omnibus inservire debeat[7], denique quomodo in civitate, qualis nunc est, rationis ejus moralis imaginem deprehenderit, qualem homo ingenio tantum innixus expressit,

1. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 335.
2. *Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 217-239. — *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 289-292.
3. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 402-403.
4. *Ibid.*, p. 411 sq.
5. *Ibid.*, p. 462-466.
6. *Ibid.*, p. 481-483.
7. *Ibid.*, p. 527-530.

omissa revelatione[1]. Sed ad civitatem non tota humana vita vergit, nec dici potest historiam confici, si reipublicæ forma numeris omnibus absoluta gignatur. Hoc enim civitatis munus est, ut unus quisque quam maxime liber evadat, ut fatum ultra expleat[2]. Denique exponit Schellingius, quo pacto ille, qui, ineunte negativa philosophia, ad se omnia referebat, eadem desinente, ad semet ipsum prætermittendum et neglegendum perducatur. Ut ad hoc homo perveniat, utitur arte, pietate, mystica, quatenus a religione dissimilis est, et scientia, quæ tota est in contemplando, philosophia denique rationali[3]. Nunc tandem ad Deum respicitur, sed mente tantum. Ille enim Deus, ad quem pervenimus, ille est, quem professus est Aristoteles, scilicet Deus immotus, finalis causa omnium rerum, semetipsum cogitans, *νόησις νοήσεως*. At ille Deus pro concepto habetur, non reipsa existit; tantummodo est *τὸ μάλιστα ἐπιστητόν*. Talis enim Deus tota rationali scientia confirmatur, sed solum utpote natura necessaria, vel perfecta essentia[4]. Porro noster Deus conceptum effugit, immo transcendit; id est quod *κρεῖττον τοῦ λόγου* videtur. Non is est igitur, qui ratione comprobari possit; nempe ratio illum solum concipit, absoluto demum opere; ille autem principium est[5]. In principio, inquam, est Deus, Deus, qui omnia agit et gubernat, cujus nutu omnia fiunt, qui in omnibus dominatur. Inde autem oritur positiva philosophia[6]. Jure et

1. *Ibid.*, p. 539-542.
2. *Ibid.*, p. 550-552.
3. *Ibid.*, p. 557-558.
4. *Ibid.*, p. 558-562.
5. *Ibid.*, p. 563-566.
6. « Ihn, Ihn will es haben, den Gott, der handelt, bei dem eine Vorsehung ist, der als ein selbst thatsächlicher dem Thatsächlichen des Abfalls

insigniter dixit Newtonius in scholio illo, quo concluduntur *Principia philosophiæ naturalis mathematica* : « Deus est vox relativa et ad servos refertur. . Deitas est dominatio Dei, non in corpus proprium, sed in subditos... Deus sine dominio, providentia et causis finalibus nihil aliud est quam Fatum et Natura. » Propter igitur illud dominium, ex quo adeo providentia et causæ finales exstant, Deus alius est atque mundi anima, et tanquam rerum creator eminet [1].

Inde ultra pantheismum procedimus, imprimis ultra illam pantheismi speciem, qua doctrina spinozana constat; inde merus monotheismus totam vim mutuatur. Præsertim ne quisquam theismum et monotheismum idem esse putet; nempe secundum theismum θεός est, non ὁ θεός. Hic theismum eam declarat doctrinam, quæ nostrum Deum non assequatur [2]. Quod olim Kantius deismo objiciebat, ita Deum conceptu quodam haud determinato attingi, hoc adeo ipsum theismo Schellingius objicit. Huic theismi generi sane præstat pantheismus. Jacobius qui se merum theïsmum colere gloriabatur, et qui tamen, quasi secum pugnans, contendebat se Deum nostrum affirmare posse, dum Schellingium increpat, existimavit inter spinozanam philosophiam et eam, quæ ἐν καὶ πᾶν dicit doctrinam nihil interesse. Sed non animadverterat secundum et ipsam christianam doctrinam Deum ἓν καὶ πᾶν dici posse; unde fit, ut ad hunc modum spinozismus non ita plane significatus sit [3]. Proprium enim est pantheismi, ac præcipue spinozismi, quidquid existat,

entgegentreten kann, kurz der Herr des Seyns ist (nicht transmundan nur, wie es der Gott der Finalursache ist, sondern supramundan) ». *Ibid.*, p. 566.

1. *Darstellung des philosophischen Empirismus*, I, x, p. 261-262, p. 279.
2. *Philosophie der Mythologie*, II, ii, p. 70.
3. *Ibid.*, p. 71.

illud nihil aliud esse quam ens divinum docere, principium vero primum in substantia cæca ponere. Utcumque Spinoza eleaticos philosophos superat; qui Deum non solum τὸ ἕν, sed etiam τὸ πᾶν esse profitetur. Quam igitur dicit substantiam, ea omnino aliud est ac vana quædam unitas; ita ut substantiam illam, quatenus est extensa, ab infinita existendi potentia, quatenus hæc in actum transiit, haud ita dissimilem esse, eamdem autem, quatenus est cogitans, cum secunda potentia, quatenus hæc actus purus est et in se aliquid habet essentiæ particeps, congruere existimari possit. Sed in eo apparet illa parum recte inter se conferri, quod principium, quo extensio et cogitatio conjunguntur, immotum aliquid est et vitæ expers[1]. Itaque illi principio nihil inest, quo finitæ res earumque varii modi explicentur. Spinoza enim res logica arte a Deo procedere contendit quidem, probare vero non potest. Reliquum est pantheismo altum quemdam sensum inhærere, quo pellicitantur mentes et moveantur animi, scilicet in Deo solum existentiam concipi, ita ut, quidquid existat, illud nonnisi sit quodam modo ens divinum; quo juvante, spinozana philosophia, cum alias rigida sit et frigida, apud homines, ac præcipue pios, plurimum valuit[2]. Sed adhuc acceptum fuerat solum theismum pantheismo opponi posse, omisso monotheismo, qui tertiam tamen revera præbet disciplinam; uno enim theismo non fieri potest ut pantheismus refellatur. Ceterum apud philosophos non is doctrinam refellit qui contra eam disputavit, sed qui alteram vere contrariam attulit. Quod in mero theismo frustra requiras; qui, cum a Deo τὸ πᾶν seponat, intra se ipsum ea relinquit, quæ certa notan-

1. *Ibid.*, p. 72.
2. *Ibid.*, p. 39-40.

daque pantheismo admittuntur. Sed pantheismus, qui in Deo τὸ πᾶν esse statuit, id ita ad τὸ ἕν redigit, ut nihil existat nisi immotum aliquid et indiscretum. Non quod in Deo aliquid non deprehendat, quod discriminare studeat; sed inania sunt hæc et hujusce modi discrimina; quippe Spinozam constat notione potentiarum processusque carere[1] Hoc adeo monotheismus pantheismum jam mutatum et altius sublatum in se continet, cum illud proprium habeat docere Deum, non modo unum esse, sed etiam e pluribus constare. Plura autem illa potentiæ sunt, quæ in Deo sunt, et ejus naturæ sunt, et ab illo quasi sustinentur.

Scilicet positiva philosophia Deum esse primum omnium profitetur; quæ non modo non, quemadmodum negativa et rationalis philosophia, per ontologicum argumentum a divinitate ad existentiam transit, sed ostendere conatur, quomodo id, quod existit, ad divinitatem perveniat. Eo ipso, quod Deus illud esse ante se excogitatum sibi obnoxium facit, illam, quæ cæca dicitur, existentiam negat. Processu autem illo. per quem Deus, ut ita loquar, fit Deus, et qui ideo theogonicus jure dici possit, apparet quomodo Deus per singulas potentias manifestus fiat, quæ in eo sunt, et quibus universis constat mundus. Creatio nempe in actione illa posita est, per quam processus ille instauratur, extra quem Deus tamen, quatenus Deus est, manet. Primum illud actione illa exhibetur, quod potentiæ miscentur et tum mutuum auxilium sibi præstant, tum inter se repugnant : unde sequitur quædam « universio », per quam mundus Deum absconditum simul ac manifestum efficit[2]. Atqui pro-

1. *Ibid.*, p. 72-74.
2. *Ibid.*, p. 80-107.

cessus ille conscientia humana terminatur, in qua Deus sedem suam et quasi solium habet, quia in ea, quemadmodum in Deo, potentiæ ad unum revera rediguntur. Unum autem illud hypostasi repræsentatur, scilicet a Filio, qui, quamdiu homo hunc consensum servat, cum Patre mundi administrationem communicat. Apparet vero illum ab homine non esse servatum, cum homo suas partes reipsa nondum expleverit; potentiæ enim, quæ a principio inter se compositæ erant, iterum diversæ et discordes factæ sunt; inde discidium, quod tantum adhuc δυνάμει erat, ad effectum venit; id est, inde surrexit Satanas. Jam tum in humana conscientia iterum incipitur processus, ex quo mundus ortus erat, ita ut illa microcosmus vere dici possit. Congruunt igitur quodam modo et mythologicus ille processus et alter ille, qui philosophia naturæ explicatus erat; quæ quidem causa fuit, cur quidam falso putaverint mythologiam nonnisi physicam esse fabulis illustratam. Unde necesse est, ut philosophia sit, quæ ad mythologiam pertineat; quæ primum docet mythologiam non vanam rerum imaginem esse, quippe ex qua divinas potentias jam aliquatenus se ipsas patefecisse appareat. Processus autem ille tum demum oritur, cum desinit monotheismus ille indigestus, in quo homines primum vixerunt, nec prius dissolvendo, quam gentes aliæ alio dilapsæ essent : quo aperte significabatur unitatem divinam esse dissolutam. Ita Schellingius totum mythologiæ corpus potentiarum notione explanare conatur, nec tamen sæpius aliud egit quam fabulas de fabulis commentus est. In Græcorum fabulis, quibus nihil perfectius exstitit, expressius demonstrantur, quæ jam orientalibus fabulis insunt, cum contra in mysteriis, quibus illæ colliguntur consummanturque,

jam perspiciatur majus aliquid, id est verus Deus. Ubi autem veri illius Dei natura, id est monotheismi disciplina, explanata est, incipit Revelationis philophia, quæ adversus mythologiæ philosophiam non aliter se habet quam adversus negativam positiva philosophia. Ut enim prior illa hoc sibi propositum habebat, ut plures esse Deos demonstraret, ita posterior hæc, quomodo Deus vere unus sit, qualem supra exposuimus, dignoscere conatur. Ceterum ad rem pertinet, non ad ea attendere, quæ orta quidem e Christianorum doctrina, pejore philosophia contaminata sunt, sed Christum intellegere, qualis a principio manifestus fuit. Nunc igitur animo et mente concipiendum est ab ipso Christo totam Christianorum doctrinam expleri. Quæ autem Christi esset vis, antequam caro factus esset, deinde quomodo caro factus sit, denique quæ inde secuta sint, ea sunt quorum imprimis reddenda est ratio. Cum vero perfectum erit Christi opus, tertia tandem potentia, scilicet mens, dominabitur; quod præparatur et ad extremum penitus eveniet per Ecclesiam primum Petri, deinde Pauli, denique Joannis spiritu afflatam[1].

Hæc summa est philosophiæ positivæ. Quam Schellingius eo potissimum commendari arbitratur, quod ab illa apud philosophos vulgata opinione abhorret, scilicet mentem eo tendere, ut in mundo inani facto versetur, aut etiam novum quemdam alterum sibi fingendum putet; quasi, ut existimabat Cartesius, quisquam philosophari possit, nec respiciat an quisquam alius antea philosophatus sit. At vero, natura et hominibus, quales revera sunt, exploratis, tum demum eam philosophiam consti-

1. *Philosophie der Mythologie*, passim. — *Philosophie der Offenbarung*, passim.

tuas, quæ, quo magis rebus ipsis alatur, eo majoris momenti sit[1]. Propterea quod jure aliquis contendat rationalem philosophiam scholæ, positivam autem vitæ esse[2].

Nunc fortasse quid sibi velit tum negativa, tum positiva philosophia, quid vero inter eas vinculi sit, melius intellegere possumus. Ad summam autem hæ duæ philosophiæ hoc unum et idem sunt, quod posterior reipsa invenit, quæ prior quærit et se invenisse falso putat[3]; quod quidem priori accidit, quia rationis desiderio tantummodo satisfacit et in logicis argumentis tantummodo versatur; ostendit enim, quomodo omnia in cogitatione sint fiantque, non quomodo in re. Hanc vero ad possibilia solum spectare existimare possis, quemadmodum geometriam. Illa tamen ipsa hoc a geometria discrepat, quod hæc, unoquoque temporis momento, ultra ea, quæ jam demonstrata sunt, non necesse habet progredi, et intra conclusiones a præmissis deductas considere potest, cum contra negativa philosophia, ut quam promoveat et stimulet notio illa potentiarum, semper ultra ea, quæ nunc sunt, progressa, futura præoccupet, unde se ipsa in præsens confirmet[4]. Res nihilominus, quales sunt, non ea est, quæ esse doceat. Vulgo autem accipitur res, ubi non ratione percipiantur, in experientia apprehendendas esse. At hic qui locus experientiæ, cum Schellingius, a Deo quodam exorsus mundum superante, revelationem postea testem adhibeat? Nimirum Deus ille, quem præ se fert positiva philosophia quodam modo

1. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 178-179.
2. *Ibid.*, p. 155.
3. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 564-565.
4. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 131.

a priori est, ideoque experientia prior; sed, ut in negativa philosophia per conceptus, ex quibus pendeat, ita in positiva per ea demonstrandus sit, quæ, liberam ejus actionem consecuta, in experientia appareant. Non quod haec ab experientia ad Deum redeat, quemadmodum solita erat negativa philosophia; sed in experientia ea investigat, quæ ex ordine divinum decretum significant. In hanc igitur sententiam Deus non res naturæ est, sed res facti; libera enim actio nonnisi *a posteriori* percipi potest[1].

Positivæ igitur philosophiæ experientia universe, non partim, deprehendenda erit, ita quidem tractatæ, ut inter eam et illam, quæ empirica dicitur, disciplinam discrimen servetur. Porro ibi illi occurrit, ut factum, revelatio; ad quam ita attendit, non quidem ut illi inserviat, sed potius sese accommodet, quemadmodum rebus et hominibus, quales sunt, intellegendi causa, studet. Atque, ut omnino imperfecta sit disciplina, quæ non res hominesque sibi proponat, ita quoque, quæ revelationem, christianam præsertim, omittat. Ceterum revelationis philosophia non a revelatione quasi a principio oritur; sed enim non esse potest, nisi rationali solum disciplina, qua tantum conceptus connectantur, non contenta sit. Ita modo per revelationem efficitur, ut definiatur philosophiæ positivæ species, scilicet historica, cum contra rationalis philosophia per se ipsa ab historia discrepet : unde res amplecti nequit. Nam spinozana doctrina, quatenus contendit singula quæque finitaque a Dei natura fluere, sicut a trianguli essentia hæc aut illa proprietas deducatur, non ad historiam pertinet; christiana autem

1. *Ibid.*, p. 127-130.

doctrina secundum historiam se habet, ut quæ mundum profiteatur a Dei libera actione procedere. Quod vero philosophia prona esse solet ad progrediendum ultra ea, quæ tantum possibilia et logica sunt, non a quodam approbandæ revelationis studio, sed a lege ipsi insita oritur [1].

Utcumque rationalem philosophiam per se ipsam constitui oportet, modo caliginosi cujusdam mysticismi errores effugere velis [2]; quam jure primam scientiam dicas, propterea quod prima a cogitatione oriatur [3]: quare, de Schellingii philosophia quidvis licet sentias, ipse tamen nunquam negavit rationalismum doctrinam esse quodam modo bene fundatam [4]. Idem etiam rationalem philosophiam adeo necessariam esse putavit, ut illi iterum restituendæ supremam operam dederit. Immo erret, qui positivam philosophiam, quia ab ente extra intellectum posito procedat, nihil in se rationale habere putet; ratio enim ita solum superiori principio obsequitur, ut sui juris magis sit [5]. Sed rationalis philosophia, quemadmodum ea est, sine qua nulla integra disciplina existere possit, sic quoque ad informandam illam non sufficit; philosophiæ enim positivæ, quid explanandum sit, non quomodo, indicat; non ejus munus est, primum rerum principium pronuntiare. Nempe libera tantum actione principium illud constituitur, cujus ea natura est, quæ cum illius philosophiæ natura conveniat. Etenim constat

1. *Ibid*, p. 130-146. — *Philosophie der Offenbarung*, II, IV, p. 8.
2. *Vorwort zu L. Steffens nachgelassenen Schriften*, I, x, p. 397. — Hubert Beckers, *Schelling's Geistesentwickelung in ihrem inneren Zusammenhang*, 1875, p. 18.
3. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 365.
4. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 152.
5. *Ibid.*, p. 171.

ens divinum logicam, ut ita dicam, materiem superare [1].

Posteriorem igitur illam Schellingii philosophiam ita definire possis : in rerum principio voluntatem et contingentiam esse. Qui profitetur voluntatem, quatenus ab ea mundus alter oriatur extra intellectum positus, causam sui esse, aliter tamen verbum interpretatus ac Spinoza, cum hic de infinita substantia dissereret; nam tantum abest, ut voluntas necessario sit, ut potius sit, quod absolute contingit, scilicet quod non solum nulli extra se causæ obnoxium est, sed etiam per se et ad suum arbitrium agit [2]. Eadem autem voluntas, quatenus in mente surgit, principium est individuationis; unde necessitas nihil aliud est quam species quædam certa, quam in nostra conscientia præbet voluntas illa prior, per quam ad ipsam conscientiam pervenimus.

Philosophiæ autem illius, quam primus Schellingius expresse enuntiavit, haud semel tum veteres, tum recentiores philosophi lineamenta quædam quasi inscii descripserunt. Ipse quidem multa e variis disciplinis excerpta contulit, quæ tamen non ita cum ejusdem doctrina cohærerent. Sed de quibusdam nihilominus ita disputavit, ut sæpe aperte appareat, quid inter utramque disciplinam, negativam scilicet et positivam, intersit. Cartesius sane Deum tanquam ens infinitum recte definiit, nec tamen ultra ens progressus est, quale cogitatione deprehenditur; ita illius rationalis disciplinæ auctor fuit, quæ ipsa manet imperfecta; cujus ontologico argumento illud demum significatur, scilicet existentiam Dei neces-

1. *Ibid.*, p. 93.
2. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p, 464.

sariam esse, modo Deus existat. Existentia autem cartesiana arte nequaquam probari potest [1].

Jam supra exposuimus, quid tunc de spinozana doctrina Schellingius sentiret; quam quidem theismo præstare imprimis animadvertit, monotheismum tamen superare. Aliter æstimanti videtur Spinoza utramque disciplinam magis quam qui maxime permiscuisse, sed eo ipso, quod, non quidem satis aperte, recta tamen ingenii divinatione, positivæ philosophiæ primum principium suspicatus esset. Etenim jure primum declarat, quod non cogitare potest nisi existens, quo scilicet nihil amplius continetur quam ipsa existentia. At in hoc peccavit, quod infinitam substantiam extemplo Deum esse docebat, cum contra probandum fuisset quomodo ab ente simplici, ut priore, ad Deum, ut posteriorem, transiri possit; ut aliis verbis utar, non explanavit, quomodo Deus fiat Deus, id est, non natura sua, sed actu sit [2]. Itaque eo redactus est, ut res singulares logice tantum deduceret, et immobile quoddam principium imaginatus, sibi convenienter mentem humanam nihil aliud agere quam in se ipsa acquiescere passus est [3]. Quare haud immerito dictitatum est spinozanum Deum non vere Deum esse [4].

Apud vero Leibnitium et Kantium magis quam apud ceteros, non tamen significantissime, philosophia positiva præsagitur. Hoc laudandus est Leibnitius, quod, cum in *Theodicea* Deo vetus principium adhibuit, scilicet existen-

1. *Zur Geschichte der Philosophie*, I, x, p. 14-16. — *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, iii, 157.

2. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, iii, p. 85, p. 157. — *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, i, p. 275-276.

3. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, i, p. 277.

4. *Ibid.*, p. 280. — *Philosophie der Offenbarung*, II, iv, p. 342, p. 348.

tiam esse singulorum, tum præcipue Deum tanquam ens absolutum, scilicet rebus finitis absolute superius statuit[1].

Denique quis non intellegat Schellingium, ea, quæ prius Kantius mirum in modum inchoavisset, explanavisse et absolvisse? Primum, cum existentiam a conceptibus per rationem non deduci posse probavisset, rationalem philosophiam intra justos terminos redegit, ideoque plurimum ad id contulit, ut indicaretur, quomodo tantum negativa esset. Sed cum illi nulla alia philosophia contigerit, ex ea solum rejecit, quæ ad res ipsas, quales in se sunt, pertinent, nedum ea alteri cuiquam disciplinæ assignaret. Nihil igitur præbuit, quo philosophia positiva plane institueretur; oblique enim, postulatis usus, ea restituit, quibus in philosophia rationali nullus jam locus esse poterat. Atqui non putandum est criticam disciplinam, quamvis philosophiam negativam recte complectatur, nihil ab illa differre; nam, quæ est negativa philosophia, tale aliquid in se habet, ut alterum cognoscendi genus desideretur[2]. Sub alia autem specie, in kantiana philosophia discrimen quoddam inest principiorum, quibus innititur hæc et illa disciplina : quod significat de antinomiis doctrina ; eæ sunt theses, quæ plerumque cum positiva, antitheses, quæ cum negativa congruant. Non igitur, quemadmodum docet Kantius, ratio cum se ipsa repugnat, sed cum iis, quæ alterius disciplinæ sunt[3]. Item, cum ea, quibus Deum esse demonstratur, perpendit, unum et idem esse putat Ens, quo nullum superius exco-

1. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 279.
2. *Ibid.*, p. 524. — *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 82-85, p. 152-154. — *Zur Geschichte der Philosophie*, I, X, p. 74.
3. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 145-146.

gitari potest (in quo finem habet negativa philosophia) et Ens per se necessarium (a quo oritur positiva)[1]. Sed alioqui Kantius suspicatus est, quid esse posset illud cogitatione prius principium, per quod conditur positiva philosophia; qui de illa nulli conditioni addicta necessitate disseruit, nobis tanquam ultimo rerum fundamento effingendæ: in hoc, inquit, humana ratio deficit quasi obruta, cui neque ipsa Æternitas talem injicit horrorem. Quantum autem distat inter sublimes illos sensus et recentiorem eam doctrinam, quæ ens tanquam particulam intra cogitationem coercet[2]! Legenti caput illud, quod « *das Ideal der reinen Vernunft* » inscribitur, multa occurrunt, inde secutura. Audacter enim, recte tamen, contendit Kantius Deum non tantummodo abstractam esse ideam, sed, cum tanquam res omnimodo determinata mente concipiendus sit, in individuo deprehendendum esse. Idem optime processum exposuit, per quem possibilitatis principium ab essentia ad existentiam, inde ad speciem Entis cujusdam summa iutelligentia præditi sese extollit. Quanquam igitur non illi contigit, ut philosophiam suam ultra negativum cognoscendi genus produceret, ad illud tamen tendebat, ut existentiam ab universalibus et abstractis notionibus solutam fundaret[3].

Illud enim in kantiana philosophia vitiosum est, quod Deus noster nonnisi per fidem restituitur[4]. Fidem vero illam, ubi intellectum quærit, necesse est in doctrinam converti; eamdem, si e cujusque hominis arbitrio pendeat, non multum fidei illi dissimilem esse, quam ratio-

1. *Ibid.*, p. 167-168.
2. *Ibid.*, p. 163. — *Philosophie der Offenbarung*, II, IV, p. 342.
3. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 282-287.
4. *Zur Geschichte der Philosophie*, I, X, p. 88.

nalismo Jacobius opposuit. Profecto Schellingius nunc magis quam antea Jacobio favet[1], usque eo, ut eum talem esse profiteatur, quo nullus apud recentiores philosophos uberiore ingenio ornatus sit[2]. Sed cum laudi huic vertat, quod asseveraverit in philosophia necessario quædam esse ex historia petita, et imperfecti rationalismi multa vitia notaverit, illi etiam nunc crimini dat, quod ab initio rebus sibi affirmandis proprium sensum imposuerit, deinde, postquam eisdem rationem imposuisset, illa ratione, qualem quidem fingeret, Ens tantummodo indeterminatum, non Deum nostrum comprehendi posse non animadverterit. Quod si fides philosophiæ inseratur, non ideo rationalismum extemplo rejicit, sed quo tempore hic terminandus sit monet et nova disciplina perficiendus[3].

Hæc Schellingius de ceteris doctrinis cum sua ipsius collatis sentit; sed non tantum ad id videtur spectare, ut aliorum disciplinæ intellegantur et absolvantur, quantum ut hegeliana philosophia confutetur et deleatur.

1. Lévy-Bruhl, *La philosophie de Jacobi*, 1894, p. 223-228.
2. *Ibid.*, p. 168.
3. *Ibid.*, p. 165-181.

CAPUT TERTIUM

QUOMODO ET QUIBUS TEMPORIBUS SCHELLINGIUS HEGELIUM LACESSIVERIT

Ex iis quæ Schellingius contra Hegelium disputavit, illud jam primum apparet, quod alia quoque indicabant, hegelianam doctrinam, postquam prævaluisset, in eo esse, tum ut intestino quodam vitio dissolveretur, tum ut brevi quibusdam offenderet, quæ extrinsecus illi exitio futura essent. Multi enim scriptores proferri possint, a quibus circa MDCCCXXX annum hegelianæ philosophiæ varii loci impugnabantur; qui præcipue Hegelii logicam damnabant, quod nimia affectaret atque etiam per se ipsa parum recte constaret [1].

Schellingium quoque cum Hegelio omnino dissensisse nemo non nesciebat; sed quo modo, quibus verbis, et quatenus, illi solum noverant, qui magistrum in illa nuperrime apud Bajoarios condita Universitate docen-

1. Hic referendi sunt libri, e quibus nonnulli primum, sublato nomine auctoris, editi sunt : Hülsemann, *Ueber Hegelsche Lehre oder absolutes Wissen und modernen pantheismus* (Leipzig, 1829). — Rühle von Lilienstern, *Ueber Seyn, Nichtseyn und Werden* (Berlin, 1829). — Kalisch, *Briefe gegen die Hegel'sche Encyclopädie der philosophischen Wissenschaften* (Berlin, 1829-1830). Majoris nomenti sunt : Chr. Hermann Weise, *Ueber den gegenwärtigen Standpunkt der philosophischen Wissenschaften* (Leipzig, 1829); *Ueber das Verhältniss des Publicums zur Philosophie in dem Zeitpunkte von Hegel's Ableben* (Leipzig, 1832).

tem audiebant. In ea oratione, quam primam, exordii causa, habuit, obliquis vocibus Schellingius disciplinas illas quasi præclusas et inertes carpserat, quæ progredienti cogitationi obstent[1]; deinde, postquam commemoraverat, quantum sua prior philosophia valuisset, suum nunc munus esse profitebatur, eam ita absolvere, ut nova altiorque disciplina exsurgat[2].

Quid autem maxime inerat disciplinæ illi, quæ tantummodo audientibus, non legentibus tradebatur, neque per libros, quasi lucem verita, vulgabatur? Cujus e longinquo paulo major notitia contigit, cum Julius Stahlius librum edidit : *Philosophie der Rechts nach geschichtlicher Ansicht* (1830).

In hoc libro admodum comprabata erant ea, quæ ad restituendum pristinum rerum statum spectabant; item e revelatione omnia juris principia repetebantur; denique referebatur Hegelium quidem in hac philosophia immoratum fuisse, secundum quam ratio universalis necessitate quadam in individua transeat, Absolutum autem in homine sui conscium fiat, Schellingium contra, jam ultra hujus modi philosophiam progressum, alteram condidisse, qua rerum necessitati, jure quidem acceptæ, libertas, et divina actio providentiaque superimponerentur. Unde pro vero apud multos habebatur Stahlium schellingianæ philosophiæ rationem aperuisse. Non tamen illud sufficiebat, ut nihil amplius desiderarent ii, qui, quid ipse Schellingius sentiret, discendi cupidi essent[3].

De his, ut diximus, non prius Schellingius scripsit,

1. *Erste Vorlesung in München*, I, IX, p. 357.
2. *Ibid.*, p. 366.
3. Postea tamen evenit ut Schellingius in epistulis significaret, Stahlium

quam mortuus esset Hegelius; sed accepimus, quam acriter et vehementer in Hegelium diceret; huic enim, ut refert quidam, cum alia, tum illud objiciebat, quod philosophiam suam corrupisset, quod rerum naturam eorum modo inspexisset, qui siccas herbas juxta servent, quod humilibus ingeniis superbiam et quoddam obscuri studium injecisset, nedum firmi elatique animi viros informavisset [1]. Hegelii quoque quidam fautor certissimus, qui tamen etiam nunc Schellingium admiratione et benevolentia fovisset, narravit, quam acerbe Schellingius, cum quædam peroraret, Hegelium lacesseret et irrideret, quomodo autem audientes moneret, talem a se iis traditam esse disciplinam, qua philosophiam illam dijudicare possent e conceptibus tenui filo deductis constantem, et, cum sola integra et vigens videri velit, corruptam et extenuatam [2].

Sed tandem primum repetamus scriptum, quod in Hegelium Schellingius edidit.

In præfatione secundæ editionis libri, qui « *Fragments philosophiques* » inscribitur, Victor Cousinus noster breviter indicaverat, sub qua specie germanicam philosophiam intellexisset, quid præterea ex ea hausisset. Hoc præsertim aiebat, veram doctrinam a Schellingio excogitatam fuisse, eamdem tamen, cum multa in ea imperfecta et male absoluta superessent, ab Hegelio corroboratam esse et renovatam [3]. Cui præfationi, in germa-

parum diligenter suam doctrinam rettulisse, quippe quam obsoletarum rerum studiosiorem et rationi contrariam exposuisset. *Aus Schellings Leben. Schelling an Weisse*, III, p. 99; *Schelling an Bunsen*, III, 151; *Schelling an Dorfmüller*, III, p. 161.

1. *Fr. Thierschs Leben*, I, p. 346, 349, ap. K. Fischerum, *Geschichte der neuern Philosophie* (Jubiläumsausgabe), VIII, p. 195-196.

2. Rosenkranz, *Schelling*, 1843, p. XVI-XXII.

3. « Les premières années du XIXe siècle ont vu paraître ce grand sys-

nicam linguam versæ, Schellingius addidit et ipse præfationem, in qua et Cousini methodum disciplinamque perpendebat, et præcipua hegelianæ doctrinæ vitia notabat. Ut paulisper res ipsas omittamus, hoc solum nunc videamus, quomodo fastidiose et superbe Hegelius despiciatur; qui ne nomine quidem suo appellatur; postquam enim Schellingius, quæ sua esset philosophia, et quo spectaret, rettulit, designatur quidam tamquam postea ingressus (*ein später Gekommener*), is scilicet qui non vitam et experientiam curaverit, sed alteram wolffianam disciplinam, suopte ingenio impulsus, condiderit[1]. Quam Schellingius dictitat in philosophiæ recentioris continuitate adventitium quoddam fuisse[2]; leviter quoque de hoc irridet Cousinum, qui, professus a se non plane Hegelium intellectum esse, tamen illum virum illustrissimum esse prædicet.

Hæc atque illa jam antea in epistulis ad Cousinum missis exposuerat[3], exposuit idem quoque in aliis ad

tème. L'Europe le doit à l'Allemagne, et l'Allemagne à Schelling. Ce système est le vrai, car il est l'expression la plus complète de la réalité tout entière, de l'existence universelle. Schelling a mis au monde ce système; mais il l'a laissé rempli de lacunes et d'imperfections de toute espèce. Hegel, venu après Schelling, appartient à son école; il s'y est fait une place à part, non seulement en développant et en enrichissant le système, mais en lui donnant, à plusieurs égards, une face nouvelle. Les admirateurs d'Hegel le considèrent comme l'Aristote d'un autre Platon; les partisans exclusifs de Schelling ne veulent voir en lui que le Wolff d'un autre Leibniz. » V. Cousin, *Fragments philosophiques*, 2e édition 1833, XL-XLI.

1. *Vorrede zu einer Schrift des Hrn. Victor Cousin*, I, x, p. 212.

2. *Ibid.*, p. 213. — *Zur Geschichte der neuern Philosophie*, I, x, p. 128.

3. Vous êtes entré dans le territoire de la philosophie allemande du côté de Heidelberg; Vous n'avez commencé à connaître le système dérivant de moi que dans le sens, que lui donnaient quelques personnes mal endoctrinées ou faibles de jugement, et dans la forme qu'il avait reçue en passant dans la tête étroite d'un homme, qui a cru s'emparer de mes idées, comme l'insecte rampant peut croire s'approprier la feuille d'une plante qu'il a entortillée de son filage. Il s'est trompé, le système ayant un principe de vie, que lui — il ne le connaissait pas, — allait toujours en s'étendant, et a

alios missis. E quibus apparet illum, nunc exquirere, quomodo Hegelius, male secum consentiens, doctrinam suam occulte passim emendavisset, nunc gaudere, quod illa, quæ Hegelio objecerit, approbentur[1], nunc illis gratulari, qui aperte, ut ipse, sentiant, quo statu utraque philosophia sit[2]. Hoc præcipue repetit, se Hegelio et hegelianis panem, quo alantur præstitisse, Hegelium quidem per se non eum esse, qui quidquam invenisset, ceterum illum, dum putat se schellingianam philosophiam prorogavisse, eamdem omnino inquinavisse[3]. Indignatur quosdam Hegelium, tamquam redivivum Aristotelem, admiratos esse[4]. Non dubitat dicere Hegelium et hegelianos ira memori et invidia adversus se accendi; cum igitur Cousinus a Germano quodam lacessitus fuisset, ideoque commotus, Hegelium et hegelianos perfidiæ vehementer Schellingius arguit[5].

rompu depuis longtemps la frêle fillure, qu'elle-même n'avait eu qu'un moment de possibilité. etc... » *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Victor Cousin*, III, p. 39-42.

1. *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Brandis* III, 124.

2. *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Dorfmüller*, III, p. 135.

3. « Ich begreife nicht, was Ihnen in den Worten « die mein Brod essen » unverständlich sein konnte. Zunächst ist natürlich Hegel gemeint, der in allen diesen Leuten eigentlich spricht. Nun können Sie vielleicht nicht so bestimmt wie ich, der ihn von Jugend auf gekannt, wissen, was dieser für sich und ohne mich fähig gewesen väre, obwohl seine Logik hinlänglich zeigen kann, wohin er, sich selbst überlassen, gerathen wäre. Ich kann also wohl von ihm und seinen Nachfolgern sagen, dass sie mein Brod essen; das mit Füssen Treten ist ohnedies klar. Ohne mich gab es gewiss keinen Hegel und keine Hegelianer wie sie sind. Dies ist nicht hochmüthige Einbildung, wovon ich weit entfernt bin, es ist Wahrheit. » *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Dorfmüller*, III, p. 165-166.

4. « ... si comme ont fait quelques ignorants en Allemagne, Hegel est comparé à Aristote; il n' y a, selon mon avis, dans toute l'histoire de la philosophie des têtes plus inégales et plus opposées que ces deux. » *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Cousin*, III, p. 137-138.

5. « C'est une chose à laquelle il fallait s'attendre de la part des séides de M. Hegel. Pour vous mettre à l'abri de leurs insultes, il fallait d'abord renoncer à toute amitié pour moi et parler tout autrement de moi, que

Ceterum propter ea et ipse impugnabatur. Cum præfatio, præfationi Cousini adjuncta, edita est, quidam, qui initio Schellingio amicissimus, sed postea ab illo alienatus erat, Paulus nomine, librum occultus edidit, in quo philosophiam schellingianam omni ex parte inanem esse prædicabat[1]. Exstitit et scriptor emunctæ naris et facetissimus, qui Schellingium amaris salibus et miseratione quadam prosecutus est[2]. Non defuere etiam alii, qui, Hegelio plus minus addicti, Schellingium carpserint. Hic schellingianam doctrinam dicebat circulatorium opus esse, quod Germaniam infamaret, Schellingium alterum in philosophia quidem esse Cagliostrum[3]; ille evangelicis verbis utebatur, cœlum magis gaudere uno ad fidem converso, quam nonaginta novem piis pænitentiæ expertibus, aiebatque Schellingium suscitatum esse, ut infideles confunderentur[4]. Postquam autem Schellingius, propter causas, quas referre supervacuum est, Bajoarios reliquit, cum Berolini prælegere incepit, dixit se ante quadragesimum annum folium in hunc librum, quo contineri videtur tota philosophiæ historia, inseruisse, priorem vero paginam a se omnino conscriptam fuisse, se ceterum posteriorem cuilibet alii

vous n'avez fait. Pour faire grand leur maître, il faut avant tout qu'on me fasse petit. C'est le mot d'ordre que leur a donné le chef, qui, semblable au *Vieux de la montagne*, sans jamais sortir de son réduit, sut faire agir ses instruments; mais les imprudences et les indiscrétions de ces fanatiques l'ont trahi depuis qu'il est mort, etc... » *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Cousin*, III, p. 95.

1. *Entdeckungen über Entdeckungen unserer neuesten Philosophen*, etc... *Von* Magis amica veritas (1835).

2. H. Heine, *Der Salon*, II, *Werke*, ed. Ernst Elster, IV, p. 288 sq. — *De l'Allemagne*, 3e *partie*, *sub fin.* — *Ueber Deutschland*, 2 Th. (Hamburg, 1868), p. 157 sq.; p. 283-284.

3. Feuerbach, *Das Wesen des Christenthums*, 2te Auflage (1843), Vorrede.

4. Bruno Bauer, *Schelling*, *der Philosoph in Christo*, *oder die Verklärung der Weltweisheit zur Gottesweisheit* (1842).

permisisse[1], sed, cum nemo vere occurrisset, se suo operi extremam manum adjicere[2]. Tunc hegelianus quidam librum edidit, in quo folium illud insertum esse negabat, et doctrinam schellingianam contendebat e kantiana præcipue, spinozana quoque et fichtiana totam constare[3]. Sed ante omnia Schellingii inimici exspectabant, dum edita esset novissima doctrina; tunc Paulus, ut hoc infensum et invidum cognoscendi studium expleret, excerpta quædam e schellingianis prælectionibus in lucem protulit. Schellingius demum silentium omisit satis verecundum, quod adhuc servaverat, et adversus Paulum litem suscepit; inde multus rumor; litem tandem amisit[4].

Attamen Berolini Schellingius videtur erga Hegelium paulo lenius et æquius se gessisse. Quin etiam ex occasione professus est Hegelium eum fuisse, qui principio schellingianam de identitate philosophiam maxime penetravisset, et postea magna ingenii contentione explicuisset; id quoque concedebat, se quadam ex parte Hegelio duce logicam philosophiæ rationalis naturam animadvertisse[5].

Sed ea tandem omittamus, quæ ad res externas et privatos homines pertinent[6]; nunc autem propius inspiciamus, quæ Hegelii methodo et doctrinæ Schellingius objecerit.

1. *Erste Vorlesung in Berlin*, II, IV, p. 359-360.
2. *Ibid.*, p. 366.
3. Glaser, *Differenz der Schelling'schen und Hegel'schen Philosophie*, (1842).
4. *Die endlich offenbar gewordene positive Philosophie der Offenbarung*, etc... (1843).
5. Paulus, *Die endlich offenbar gewordene Philosophie der Offenbarung*, etc..., p. 358-377.
6. Noack, *Schelling und die Philosophie der Romantik*, 1859, II, p. 414 sq.

CAPUT QUARTUM

QUID PRÆCIPUE HEGELIANÆ METHODO SCHELLINGIUS OBJECERIT

Cum Hegelius professus erat suam philosophiam a schellingiana discrepare, in hoc præsertim haerebat, ut methodo sese commendaret ideoque mentes legentium devinciret. Etenim dialecticam doctrinæ suæ artem distincte expresserat. Quare non est quod mireris a Schellingio imprimis hegelianam methodum inspectam esse atque elevatam, ut inde pateret Hegelium sibi nimium tribuisse.

Cum multa insolita et ad defendendum difficilia Hegelius protulit, tum hoc præcipue, logicos conceptus sponte sua se movere. Quænam ita miscet et conturbat, ut aliquid natura iners et rigidum vita quadam præditum esse prædicet? Verborum translatione utitur audaci quidem, verum inani[1]. Is tantummodo hegelianam hanc thesim exstitisse posse sibi fingit, qui reputat ab Hegelio schellingianam doctrinam de his ommino adulteratam esse. Sane quidem Schellingius processum quemdam

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 138. — *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Dorfmüller*, III, p. 135.

admiserat, per quem subjectum sponte in objectum sese converteret, deinde ad se ipsum rediret; sed hoc significaverat possibile eo spectare, ut determinetur et idem absolvatur, donec intellectus fateri cogatur ens extra se esse positum et tantummodo *a posteriori* empirica quadam arte explorari. Illa Hegelium fugerunt; qui, cum totus in logicis sit, conceptum respicere tantummodo studet. Porro, cum, conceptu stante et haerente, nihil unquam evasisset, motum excogitavit dialecticum; qui bene animadvertisset schellingiana philosophia certum motus principium repertum esse, adductus fuit, ut ipse singularia quædam et nova invenisse videretur, ad hoc illi vitio vertendum, eam necessaria argumentatione carere. At hoc illum præteriit, cum schellingianam processus notionem et logicam artem res definiendi contaminaret, aliquid tanquam secum discors peperisse[1].

Si tamen hegelianam doctrinam oculis delibes, hanc existimes sese reipsa explicare et ultra progredi. Unde fit, ut ita decipiaris? Nempe Hegelius conceptibus vim quamdam adjungit occultam, per quam impellantur; quæ quidem est ipsius cogitatio. Illa est, inquam, philosophantis viri cogitatio, quæ conceptus per se inertes promovet. Unde novum oritur vitium, cogitationem ad philosophi arbitrium provehi, nedum e certa et necessaria lege pendeat. Mundum, qualis est, non repræsentat, sed alterum evolvit commenticium. Methodum dicis arto vinculo obstrictam : injuria vero, cum contra casu soluta elabatur et evolet[2].

Sed, quomodo motus incipiat, videamus. Ens merum ab

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 211-212. — *Aus Schellings Leben*, *Schelling an Chr. L. Weisse*, p. 67.

2. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 131-132, p. 138.

initio Hegelius admittit, præterea quod illud conceptus est, qui nullum alium, quem vero quilibet alius supponat. Nonne enim in ente ipso residet quidquid est? Quod si ais hæc trita esse, modo hoc attendas, prima et geometriæ elementa trita esse. At enim, ut respondet Schellingius, quid hoc tritum vult? Contendisne illa manifesta esse? Tunc dicendi illud genus non in hegelianam thesim redundat. Nempe nullum est ens indeterminatum et omnino objectivum, cum quidquid est ad subjectum se referat; ubi ens cogitatur, intellectu cogitante posterius est. Quare de ente, quale ab Hegelio proponitur, nihil ultra est cogitandum. Quod quidem Hegelius ipse concedere videtur, cum postea merum ens et nihilum unum et idem esse pronuntiet. Sed noluit ideo confiteri merum ens nullum esse, qui primum in illud nihil injicere voluerit, quo liberius postea ex sententia hoc et illud insereret. Quæcumque de his dicit nullo modo constant; nihili enim notionem adhibet, cum, quid significet, omiserit. Præterea hoc ait, merum ens et nihilum idem esse, neque tamen monuit, quo spectet copula. Quod si tantum ostendere studet merum ens et nihilum duos esse modos ejusdem rei significandæ, nos minime docet. Res tantummodo pateret et valeret, si demonstraretur, quo pacto subjectum eo magis se ipsum neget, quo se magis in objectum convertat, ideoque nihilum tanquam aliquid existens statuat. Sed non illud respexit Hegelius. Nam, cum ens et nihilum idem esse dicat, tantummodo confidit ens aliud postea fore : hoc dumtaxat sensit[1].

Ceterum arduum est ea, quæ initio Logices Hegelius asseverat, confutare : adeo illa ancipitia sunt et imper-

1. *Ibid.*, p. 132-135.

fecta. Vide etiam quomodo Hegelius id, quod « fieri » appellatur, tractaverit; de hoc male finita semper profert, et cum his, quæ reipsa fiunt, parum congruentia. Non enim aperte dispicitur, quomodo priores conceptus huc evaserint; id tantum artificiose evenit. Idem et sæpius in hegeliana philosophia deprehendas, quæ tantum inani modo in medium ea proferre studeat, quæ per se ipsa stare nequeant[1]. Hegelianum conceptum dicas indico illo Deo simillimum, qui in varias formas perpetuo migret[2].

Scilicet tota hegeliana logica ad hoc unum pertinet, ut demonstret, quemadmodum conceptus opposita sine intermissione superet, ita ut paulatim se ipse magis ac magis determinet. Cum ad gradum superiorem pervenit, videre est ea, quæ infra erant, hinc deleri, illinc quasi transmutari, ita ut postremum conceptus factus sit Idea sese ipsam amplexa et omnino sui conscia, quæ totum dialecticum laborem in se collegerit[3]. Sed cum illa conceptuum connexio extra tempus et sub æternitatis specie exstiterit, explanandum inde est, quomodo ad res transeatur. Ibi autem potissimum apparet, si quid unquam apud Hegelium ficticium fuit; quippe ibi interciditur dialectici motus tenor. Idea enim, cur id fiat nescis, videlicet logicum habitum, utpote nimis eumdem, perosa, a se divellitur, ita ut appareat Natura. Nulla autem est philosophia, ne hegeliana quidem ipsa, quæ in se habeat, unde hoc tam singulariter factum expediat; nempe id repetens Hegelius, quod sæpe aliis vitio vertit, vanam verborum translationem usurpat.

1. *Ibid.*, p. 135.
2. *Ibid.*, p. 144.
3. *Ibid.*, p. 136-137.

Ceterum, ubi Hegelius per dialecticam artem pervenit, ut Absolutum assequeretur, tanquam existentiam, et cogitationem in se colligens, non intellegimus, cur ultra progrediatur. Natura, ut dictitat Hegelius, aliquid est ab Idea delapsum. Quare autem ita aliquid delabi Idea patitur? Quare Idea hanc mutationem requirit, qua adulteratur, nisi quod reipsa natura est, philosophus autem irrideretur qui, logicis contentus, naturæ non studeret. Ceterum licet Idea in novam speciem permeet; præscimus fore, ut se ipsa recipiat, et revera se recipit, ad mentem inde ascensura. Atque supervacuum est contendere Ideam tali errore se ipsam confirmare; nempe non patet, quam ob causam non semper peregre sit, cum ita in infinitum confirmanda videretur[1].

Sed fortasse melius intellegas, quantum in opere efficiendo Hegelius peccaverit, si tecum reputes, quomodo schellingianam philosophiam imitatus quidem sit, sed simul deformaverit. Nempe docuerat Schellingius, qua arte absolutum subjectum in objectum sese immittat, sed ita, ut ad se postea redeat, ideoque menti propius fiat, donec in se postremum acquiescat, neque jam amplius in objecti speciem verti possit. Idem contendit Hegelius conceptum, postquam per varias, quæ illum magis ac magis exprimant, figuras transierit, cum has in se postremum retrahat, ideam fieri semet ipsam percipientem; quod quidem processum vocat. Sed hoc differunt schellingiana, in se spectata, philosophia et eadem ab Hegelio male assimulata : scilicet apud Schellingium, si subjectum usque magis penitus sibi haeret,

1. *Ibid.*, p. 151-154. — *Vorrede zu einer philosophischen Schrift des Hrn. Victor Cousin*, I, x, p. 212-213. — *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 88-89; p. 121-122.

id evenit, quia principio res inter se vere opponuntur : inde ascensio. Apud autem Hegelium, nullus processus vere gignitur, quia vere nulla sunt, quæ sibi obstant superanda. Ens enim et nihilum dum opponit, temere effutit. Quam parum juste vocatur processus, qui in motu dialectico totus est! Quam parum congruit verbum cum tardo illo conceptus quasi somniantis incessu! Sæpius apud Hegelium occurrunt vocabula, quibus plus minus versute adhibitis, doctrina, quamvis iners, ad vitam erigi et afflari videtur. Schellingii autem philosophia ab initio in natura erat, rebus alebatur, res intuebatur. Hegelius vero præpostere Logicam ante philosophiam naturæ constituit, ita tamen, ut Logicæ illi artem, qua schellingiana naturæ philosophia commendabatur, accommodaverit. Porro liquet mutationem illam non fieri potuisse salvis verbis sententiisque; nempe, ut logica conderetur, cavendum illi erat, ne res intuitu deprehenderet; ceterum, ut conceptus usitati quidquam valerent, necesse erat res intuitu deprehendi; sed, dum ita utrumque confundit, fucum sæpius facit, in vitium tamen incidit. Vetus enim metaphysica, in scientia, quæ « ontologia » inscribebatur, ipsos conceptus requirebat; hoc rursus Hegelius in Logica aggreditur. Sed, cum intellegeret wolffianos erravisse, conceptibus temere conjunctis, neque tamen pristinam ontologiam instaurare cuperet, per notionem illam dialectici processus omnia expediri existimavit. Sed hoc vere mirum est, et in Hegelio scholasticum quoddam inesse testatur, ideoque illum eum esse, qui processum mente non assequi possit; scilicet præsertim tentavit ut conceptus suo tempore usitatos in ordine quodam collocaret, ratus præter eos, qui in doctrinam adscis-

cebantur, nullum jam amplius superesse posse conceptum. Fieri tamen potest, ut conceptus alii existant, qui inauditi adhuc omnes fugerant, vel ita dispositi a sua significatione detorqueantur, quo magis doctrinæ conveniant; quod ibi potissimum conceptibus accidit, qui ad Ethica vel Relligionem spectant[1].

At enim aliquo quodam modo conceptus apud Hegelium, nullo vero modo apud Schellingium determinantur. Quid ais? Hos jam penitus determinatos habebas, sed cum maxime oportebat. Sane Schellingius priores natura conceptus, quemadmodum Hegelius, non effinxerat, neque vocabulis « esse » aut « fieri » usus erat, iis, quæ sunt aut fiunt, neglectis; conceptus, qualenus rebus applicantur, tamquam naturæ formas, quatenus autem rationem componunt, tamquam, conscientæ elementa, explanaverat; non aliter enim sine inani arte licebat eos perpendere[2].

Ceterum, ut consilium suum Hegelius confirmaret, Schellingium contendit, rationali intuitu fretum, posuisse Absolutum, ideoque vim mentis creavisse secretam, et quæ nos effugiat, denique hæc et talia hujusce modi ad privatum hominem quemdam tantum, immo mysticum pertinere. His quidem objectis respondet Schellingius non ita expedite, neque ad priorem doctrinam diligentissime se referens. Negat enim se hoc vocabulum, rationalem scilicet intuitum, in eo scripto adhibuisse, quod totam et meram philosophiam suam antea enuclearet[3]. Quod quidem vocabulum in alio quodam scripto[4]

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 137-139.
2. *Ibid.*, p. 139-141.
3. *Darstellung meines Systems der Philosophie*, I, iv, p. 107 sq.
4. *Ueber den wahren Begriff der Naturphilosophie*, I, iv, p. 77 sq.

assumpserat, sed non ita, ut per hoc Absolutum tanquam in se ens poneret; hoc solum sibi propositum habebat ostendere, quam necesse esset a subjecti specie philosophiæ primum principium vindicare, quale a Fichtio conceptum erat; tantummodo significare voluerat subjectum et objectum omnino idem esse. Quod si Schellingio acciderit, ut vulgi causa dubios et ἐξωτερικοὺς dicendi modos usurparet, qui ad ens spectare viderentur, non idcirco credendum est illum id reipsa sensisse. Etenim hæc pars Schellingianæ philosophiæ non profecto similis est idealismo illi imperfecto, qui res extra nos esse negat; ipsa se tanquam absolutum idealismum professa est; sed inde sequebatur, ut, quæ ad rerum existentiam pertinent, non dispexisset, sed in posterum seposuisset. In hoc autem erravit Hegelius; qui, cum Absolutum in se existens requireret, Schellingium putabat illud eodem modo requisivisse, præterea cum in Schellingiana philosophia demonstratam illam philosophiam desideraret, rebatur eamdem rationali tantummodo intuitu prehensam esse. Hunc autem illud fugit Schellingium antea τὸ διότι, non τὸ ὅτι respexisse [1].

Perperam igitur Hegelius principium illud, ad intellegendum difficile, interpretatus est, quo ens et cogitatio in unum coalescunt. Cum enim dictitat rationem ad res ipsas attendere, non ideo sequitur, ut res ipsæ existant. Nempe idem permanet hominis conceptus, vel deficientibus in orbe hominibus; eadem quoque permanet geometricæ figuræ essentia, sive existit, sive nulla est. Quod si *a priori* certa quadam lege in natura rerum viventia fore antecapias, non idcirco existunt hæc et illa

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 147-150.

viventia; sola tamen existunt, quæ hæc et illa sunt. Ratio quidem ad ens spectat, sed tantum quatenus essentia præditum est, non quatenus reipsa est[1].

Attamen, cum jure doctrinam suam penitus logicam esse Hegelius prædicaret, inde intellegere poterat, illam intra justos fines esse coercendam, et ad positivam philosophiam referendam. At contra nihil amplius ultra conceptus motum respicit, huic tantum studet. Illam dialecticam rationem eam esse contendit, quæ Deum et res divinas nobis aperiat; quod Kantius fieri posse merito negaverat[2]. Non res tamen, sed conceptus, cogitationi subjicit; inde cogitatio ea, quæ cogitatione effecta sunt, tractat; haud aliter atque quidam poesim de poesi effinxerunt[3].

Quare hegelianam philosophiam tamquam negativam ducere non debemus, quæ tantummodo perficienda videretur. Philosophia enim negativa vel rationalis *a priori* rerum essentiam determinat, ideoque omnino necessaria est. Procul errat, si quis putat Schellingium, quoniam hegelianam philosophiam reprehenderit, a rationali disciplina abhorruisse. Tantum abest, ut id evenerit, ut contra Schellingius ab Hegelio, non solum de informanda philosophia positiva, sed etiam de modo, ad quem negativa institueretur, dissederit. Propterea quod *a priori* procedit, philosophia rationalis non logica quædam inanis habenda est; ad res enim secundum essentiam spectat, ad τὸ δυνάμει ὄν. Jure Dei ideam tanquam intellectui inhærentem exponit. Ut enim ipsa ea, quæ existentiæ sunt, explicare nequit, ita confidere

1. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 59-50.
2. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 125-127.
3. *Ibid.*, p. 141.

potest fore ut rebus, tanquam existentibus, nullo modo redarguatur. Sed quid prodest dictitare Schellingium non eum esse, qui rationalem philosophiam respuat? Immo ille eam magna ex parte condidit, totam etiam delineavit[1]. Oportet igitur nos rationalismo tantum abstracto diffidere, et perspicere, quid significet philosophiæ historia, quæ nos doceat rationalismum et empirismum inter se continuo obstare, rationalismum vero non ita præstare[2]. Hoc tamen non eo valet, ut philosophia empirimus stricto sensu fiat; qui universalia aversetur, et res solum admittat, quæ in experientia interna vel externa tribuantur; hunc talem solum Hegelius cognovit et impugnavit. At experientia potissimum apparet, ubi liberæ actiones sunt; nam *a priori* minime definias, quos actus sit effectura voluntas ut nostra; experientia autem vinculum illud proferre et potest et debet, quo quædam manifesta cum libertate conjungantur, a qua orta sunt. Illa non intellexit Hegelius; illa non intellexerunt, qui positivam philosophiam negativæ tantum superinjici putant. Philosophia enim positiva alterum progrediendi modum desiderat. Non ea, quæ tractat, cogitatione jam informata recipit; sed illa tractanda exponit per voluntatis quemdam actum; hoc, inquit, volo attingere, quod non jam essentia sit, sed quod in se omnino et quæcumque oculis objecta sunt exsuperet. Ceterum non est quod mireris philosophiam, per quam voluntas ita viget, a voluntate primum pendere[3].

1. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 86-86, p. 86-87, p. 89-90. — *Aus Schellings Leben, Schelling an Beckers*, III, p. 145.
2. *Vorrede zu einer philosophischen Schrift des Hrn. Victor Cousin*, I, x, p. 212, p. 215-217. — *Aus Schellings Leben, Schelling an Victor Cousin*, III, p. 17. — *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 62.
3. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 92-93.

At enim, dicet aliquis, non proprio munere fungitur schellingiana philosophia, cum non tanquam systema absolutum se præbeat. Sane fatendum est eam non, tanquam hegelianum, systema esse. Hoc contra priori Schellingii philosophiæ laudi vertatur, quod scholasticas figuras omiserit, ideoque tanquam postea perficienda sibi visa sit. Schellingii doctrina tum demum systema fit, ubi positiva philosophia invenitur : quod præterea rebus inservit, non fictis notionibus. Quid ergo de hegeliano systemate judicabimus ? Schellingius quidem præsenserat, quam inops et demissum, et ad creandum parum aptum Hegelii ingenium esset ; attamen scientiæ quodam modo favere existimaverat tam acre et arduum systematis informandi genus, vel falsum, per quod eorum scripta elevarentur, qui tumidum ingenium, sed nihilominus irritum, præ se ferebant. Hoc igitur valuit Hegelius; sed plerique eorum, qui illius studiosi sunt, cum singula quæque exsequi non possint et quædam parum certa tantummodo arripiant, gaudio et superbia exsultant, rati se doctrinam prorsus defixam et stabilem in promptu habere. Sed quid systema esse debeat, nesciunt. Etenim non quilibet unus systema condere valet ; imprimis enim requiritur facultas quædam insita, per quam ad cavendum instinguimur, ne logicus ordo extra justos naturæ fines deerret et exspatietur ; qua autem nemo magis quam Hegelius carebat ; in minimis quidem rebus deprehendendis sagax, magnas autem res uno inspectu amplecti non poterat. Profecto non is est Schellingius, qui in philosophia omnia e sensu manare putet ; sed ubi de rebus excogitandis, de carminibus et artibus agitur, maximi momenti est sensus ; cui parendum est, si modo absona et citra naturam effugere velis.

Ut systema instruas, oportet te non solum opificem esse, qui, vili operi intentus, materiem oculis propositam tantummodo digerit, sed artificem, qui erectus omnia prospicit et consequitur[1].

Ita hegeliana methodus, quæ tot et tanta falso jam polliceatur, male fundata ruit. Quod si aliquando stare etiam tibi videtur, id per fulturas, ut ita dicam, fit, quæ circa applicantur. Constat enim illam secum ipsam intus esse discordem, cum immobilem conceptum promoveat, et res existentes in intellectu tantum effingente defigat.

1. *Ibid.*, p. 87-88.

CAPUT QUINTUM

QUID PRÆCIPUE HEGELIANÆ DOCTRINÆ IPSI SCHELLINGIUS OBJECERIT

Supervacuum est dicere pleraque argumenta, quæ Schellingius adversus hegelianam methodum protulit, doctrinam ipsam quoque petere. Hegelianam enim logicam Schellingius carpsit, non solum quia ea cum proposito male congrueret, sed etiam quia sententias omnino falsas contineret.

Atque hæc imprimis Schellingium offendunt, quibus ille monotheismus, qualem nunc exprimit, redarguitur, id est a pantheismo et rationalismo solutus. Non natura sola, sed Deus etiam ipse in hac doctrina interit : usque adeo res vita frui ægre fert. Hoc jam apertum est, cum Hegelius ab illo ente mero, quod nihil aliud est quam manca notio, exordium sumit[1]. Quo ita facto, quomodo inde contendere audet conceptum dignum esse, qui Deus vocetur? Conceptum quidem, non adhibita usitata interpretatione, admittit, et illi dotes egregias et insolitas tribuit; ita ut pro creatore sit. Talem ceterum conceptus

1. *Vorrede zu einer Schrift des Hrn. Victor Cousin*, I, x, p. 215.

notitiam, secundum hegelianam doctrinam, habere debemus. Nam Hegelium male impugnet, si quis illum dicat Deum, utpote conceptum, tantummodo accepisse; conceptus enim, quatenus verus est, in se habet, unde creet[1].

Hegelius autem adeo sibi placet, ut principii petitionem inscius committat; nempe fingit verum aut in rebus, quæ sub sensum cadunt, aut in conceptu inesse. Sed non animadvertit conceptui plane opponi id, quod reipsa est, sive hoc sub sensum cadit, sive supra sensum eminet. Deus enim, quamquam non sub sensum cadit, alius est atque conceptus[2]; immo, si eum velis esse Ens nulli condicioni addictum, hunc oportet conceptum omnino superare[3].

Præterea, quæcumque de Deo Hegelius scripsit, imperfectissima sunt, et ceterum contra schellingianam philosophiam nihil proficiunt. Exempli causa, Hegelius Schellingium increpuit, quod hic Deum, tamquam substantiam, non tamquam mentem, tractavisset. Egregium videlicet est Deum mentem vocare; quasi eo vocabulo Christiani non vulgo uterentur. Quid refert, si in priore schellingiana philosophia Deus mens appellatus sit, aut non? Quod verbum, si occurrisset, sane satis ample sonuisset, quo audito gavisus esset piorum animus. Hoc ceteroquin constat, in hac quidem philosophia Deum ad extremum eum esse, qui ὁ ἑαυτὸν νοῶν vocari possit; mentis igitur nomine dignus erat. Attamen, cum tamquam terminus, non tamquam principium, tamquam causa finalis, non tamquam causa efficiens, conceptus esset, si eum

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 127.
2. *Ibid.*, p. 142.
3. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 164.

mentem appellas, non declarat idem verbum, quod usus et pietas requirunt. In hunc errorem multi delapsi sunt, ante omnes Hegelius, qui, cum Deum mentem vocat, tantummodo significet alios conceptus jam non valere, Deum præterea nonnisi concludens affirmet, tamquam absolventem conceptuum seriem, non tamquam verum principium[1].

Non enim sine causa contendit Hegelius, ratione Deum non ante omnia, sed post omnia ponendum, neque quidquam in eo reprehendi potuisset, si docuisset de Deo, utpote tantum idea, agi. Sensitne postea se negativa solum assecutum esse? Hoc credas, si mutationes quasdam respicias, quæ doctrinam subierunt; tentavit enim liberam Dei creationem cogitatione amplecti. Scilicet declarat absolutam mentem, quatenus sui, tamquam summi veri, conscia est, sese agnoscere posse tamquam creantem : inde ultima primis præponi, terminum igitur ad quem fieri terminum a quo. Si rerum ordo ita inverti potuisset, et si Hegelius hæc non inchoavisset tantum, sed penitus scrutatus esset, novam alteram disciplinam instituisset, philosophiæ schellingianæ positivæ haud dissimilem. Sed adeo non Hegelius ita se gessit, ut contra satis esse crediderit seriem condicionum, quæ simul conexæ essent, tantummodo inverti. Non enim intellexit negativam philosophiam et positivam non esse duas res quæ adversus objaceant, principium vero, a quo oritur positiva philosophia, actionem quamdam desiderare, quam negativa non comprehendat. Ad hoc ita mirum pervenires, si de his hegelianam doctrinam ad litteram acciperes; ubi enim, qui ultimus finis erat, pro

1. *Zur Geschichte der neueren Philosophie*, I, x, p. 154-155.

primo principio, summus autem terminus pro causa finali habetur, omnes rerum gradus efficiunt continuam causarum finalium sibi invicem submissarum seriem; ita inanima animatis, animata deinde hominibus subjiciuntur; tunc, omni causa finali facta efficiente, dicere deberes, ut a Deo mundum, ita rursus ab hominibus animata, ab animatis inanima creari; quod quidem insulsum est[1].

Ceterum Hegelius Deum mundo ita annectit, ut penitus deformatum inducat. Quo enim modo admittas absolutam mentem, postquam naturam et humanam conscientiam transierit, immorari, nedum rursus peregrinetur? Deus ipse concipiendus esset, non tanquam certo quodam tempore in mundo versatus, id est, a semet ipso abalienatus, sed tanquam æternum in mundum sese projiciens et a mundo sese retrahens. Si vere Hegelio credas, ita res se habent; Deus non in processu, ipse processus est, nedum ultra processum regnet; perpetuo agit inquietus, ne ulla quidem die ad otium concessa; id est, mundus Deo modum imponit, ad quem agat et manifestus fiat. Quo pacto etiam nunc de libertate divina loquimur, nisi verbis prave detortis? Hæc et hujusce modi alia pantheismum nimis redolent, ne illum quidem qui, tanquam spinozismus, æquabili quadam tranquillitate commendatur, et secundum quem res finitæ ab infinita substantia logica quadam arte fluunt, sed illum qui, professus se in Deo agendi potentiam collocavisse, eum libertate eo turpius frustratus est. Talis igitur apparet illa doctrina : Deus primum in se est, quod jam intellectu est asperum, nam quid sibi vult hoc primum in

1. *Ibid.*, p. 155-159.

rationali explicatione? Sed, ut sui conscius tandem fiat, mundum subit, ad hominem inde regressurus, ideoque se ipse assecuturus. Facile igitur intellegas, quas ob causas talis doctrina paulisper tantum apud homines omnino excultos valuerit, nunc autem magis atque magis neglecta jaceat; eos enim solum detinuit, qui non ita eruditi sunt[1].

Inde percipimus quosdam exstitisse, qui hegelianam doctrinam admirarentur, et idem tamen emendare vellent, salvis hegelianis principiis. Num illi senserunt, quid Hegelius per intactam doctrinam suam jam assequi posse crederet, quid autem positiva philosophia esset? Licet de his dubites. Sane quidem laudandi sunt, qui Deum tanquam conscium sui individuum agnoscere studuerint; sed prave vident, quo vinculo pura illa de Deo doctrina cum positiva philosophia conjungatur. Ut supra diximus, ipse Hegelius interdum doctrinam suam ita correxerat, ut mentem absolutam pro Deo sui conscio habuisset. Sed ita res nullo modo procedunt. Voluntne significare rationem ad quamdam Dei ideam pervenire? Hoc Kantius dixerat, et post Kantium alii etiam; ceterum de hoc non agitur. Contenduntne illam Dei ideam eam esse, quæ verum Deum, liberum scilicet et creantem, exprimat? Sed hæc jam scripserat Hegelius; quare, dum prædicant se doctrinam hegelianam emendare velle, præpostere agunt, quemadmodum ii, qui, ut Galli aiunt, cœna jam peracta, sinapim præbent. Tunc Hegelium ipsum adversus discipulos tueri oportet, cum adversus eos, qui, uti vulgi gratiam sibi concilient, doctrinam enervant et frangunt, sublata omni virtute et disciplinæ ala-

1. *Ibid.*, p. 160-161.

critate, tum adversus eos, qui in hanc tam artam philosophiam ampliores et aliunde depromptas sententias inserunt[1].

Hegelium autem, si rem propius attendas, videbis notiones, in quibus versetur Relligionis philosophia, deformavisse, immo, quæ sit illa philosophia, minime intellexisse. Ut exemplo utamur, animadverte quomodo monotheismum interpretatus sit; quem negative admittit, tanquam si ens unum tantummodo hic acciperet; tunc pro monotheistis habere potest Eleaticos, Spinozamque, et illos juxta, qui vere Christiani sunt. Plura igitur monotheismi genera enuntiat; quod perinde valet tanquam si dicas plures esse Deos; utrumque ad idem vergit. Hoc sane mirum est, quosdam e doctrina quæ christianum monotheismum adeo parum explanaverat, hausisse, unde Christianam doctrinam lacesserent[2].

Alioquin Hegelius res per imaginem repræsentatas et res per cogitationem conceptas ita discernit, ut Relligio jam nunc illius generis res præ se ferat. Inde sequitur, ut ille, quem colunt Christiani, Deus, non Deus omnino verus sit, sed Deus quasi per imaginem expressus. Hegelius autem, cum philosophiam naturæ tractaret, non dubitavit cum conceptibus imagines miscere; quare igitur hoc loco, tanquam rei imparem et inadæquatam, eam despicit veritatem, quæ se ipsa repræsentet?[3] Porro, vel de rebus divinis, Hegelius figuris et verborum translationibus usus est, sed parum presse; res e Deo exeuntes designavit eodem tropico modo, quem theosophi affectant; his quidem in eo inferior, quod hi vivido animi

1. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 90-92.
2. *Philosophie der Mythologie*, II, II, p. 40.
3. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 172-173.

impetu abripiuntur, ipse vero aridus esse sua arte cogitur. Licet, si quis secum sententias quasi ebrius volutet, nutet, non si quis jejunus natura sit, et se jejunum esse profiteatur [1].

Præterea non ea esse debet Relligionis philosophia, quæ totum illius corpus in rationalem doctrinam implicet; nihil illo disciplinæ genere inanius est, quod, Relligionis enucleandæ causa, totam illam ad conceptus redigit. Tunc evenit, ut Relligionem, qualis apud homines viguerit, non consideres, Relligionem autem alteram machineris, quæ fortasse magis pura esse vel videri, sed non animos imbuere possit, quippe quæ jam non ea sit, unde homines vixerint. Crederes a Kantio hunc Relligionis expediendæ modum intra rationis fines perfectum simul esse et consummatum. Sed Hegelius idem de integro molitus est, adhibita arte quadam scholastica; inde Relligionem corrupit et extenuavit. Jure dicas hegelianam Relligionis philosophiam ad revelationem tantummodo conceptam, non ad eam, quæ revera fuit pertinere; ita ut illa, quæ in Christianismo insunt, interpretetur, quasi e puris ideis manent, ut quoque illis eam veram existentiam adimat, quæ multum existentiæ tantum conceptæ præstet. Ea enim est revelatio, quæ tanquam factum apparere debeat, quod per se positum sit extra rationis modos, quibus illud explanes. Conceptane an vera potius Redemptio animis auxilium attulit? Itaque oportet ita Relligionis philosophiam institui, ut facti naturam explicandi tueatur; rationalis igitur disciplina non sufficit [2]; immo disciplina talis esse debet, quæ e principiis oriatur, quibus historia diligenter observetur,

1. *Ibid.*, p. 121-122.
2. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 568.

neque unquam adulteretur, quibus experientia lato sensu comprehendatur, neque elevetur[1]. Hujus autem modi disciplinam condere voluit Schellingius, cum positivæ philosophiæ munus describeret; quam, si justo nomine appellare velis, historicam voces. Quodam enim modo Schellingio videtur in homine esse Relligio tanquam aliquid, quod ante omnia historiæ est; non quo inde id significet, quod eodem tempore hegeliani quidam contendebant, Relligionem scilicet, historico modo consideratam, in elementa dissolvi, quæ omnia et tota ex humana conscientia oriantur, neque quidquam extraneum et superius admittant; sed dicit eam vinculum quasi substantiale esse, quo quam maxime cohæreant actiones et cogitationes ab hominibus per temporum seriem partæ.

Quamobren cavendum est, ne perfectæ civitatis constitutio tanquam totius historiæ finis habeatur. Quod si perfecta civitas in historiæ philosophia locum quem habet, id fit tantum negativo modo. Negativæ enim philosophiæ est docere, quæ contineat civitatis notio, quæ exsequenda amplectatur, ad quem finem vergat. At historiæ philosophia, quatenus positiva est, eo spectat ut providentiam divinam, tanquam humanas actiones regentem, percipiat[2]. Cum negativa arte, quæ sit civitas, Schellingius indicat, Hegelio videtur consentire, qui veram libertatem civitate institui contenderit[3]. Attamen expresse significat quid, ineunte civitate, fortuitum sit, et, tantummodo quoniam contingat, vim habeat[4]. Sed

1. *Ibid.*, p. 571. — Constantin Franz, *Schelling's positive Philosophie*, I, p. 263.

2. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 551. — *Stuttgarter Privatvorlesungen*, I, VII, p. 463-465.

3. *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 537-540.

4. *Ibid.*, p. 538 539.

præsertim in eo Schellingius ab Hegelio discrepat, quod non civitatis naturam, tanquam veritatis absolutæ speciem quasi perfectam, accipiat.

Illa sunt igitur præcipua hegelianæ doctrinæ vitia; quæ abstruso Hegelii ingenio efficiuntur, qui, semper pronus ad res per maxime abstracta excogitandas, putat deinde easdem tanquam in se arreptas esse. Inde doctrinam, secundum quam cogitatio et existentia unum et idem sunt, deteriorem præstitit. Inde etiam non animadvertit, sola ratione. quidquid contingit et reipsa est, minime attingi[1], mentem vero non munere se abdicare, quoniam non omnia rationi subjiciat. Si enim, quæ sit experientia stricto sensu, concepisset, vidisset eam non esse cogitandi modum inferiorem et omnino humilem, sed cum aliquo maxime vero arte conjungi posse et debere, quod libera actio sit. Nonne mens, qualis est nostra, ea est, quæ actus suos habeat, non tanquam in se jam præformatos et definitos, sed potius vinculo solutos, et quasi sponte exsurgentes? Inde fit ut tales actus nonnisi *a posteriori* determinari queant, neque cogitatione pura se teneri patiantur[2]. Quare Schellingiana philosophia, quanquam rationalismum non omnino impugnavit, sed tantum in locum suum redegit, gloriatur, quod adversus hegelianam doctrinam, hinc facta, illinc libertatem commendaverit et illustraverit.

1. *Abhandlung über die Quelle der ewigen Warheiten*, II, I, p. 584.
2. *Einleitung in die Philosophie der Offenbarung*, II, III, p. 113-114.

CONCLUSIO

Quæ Schellingius Hegelio objecit licet a schellingiana posteriore doctrina detrahas; in se tamen spectata, acuta et significantia sæpe videbuntur. Inde patet hegelianam philosophiam, cum nuper prævaluisset, nihilominus jam eam esse, quæ non sufficere possit, et quæ ad exitium tendat. Profecto quodam modo posterior illa Schellingii doctrina ad hoc artificium regredi, per quod in metaphysica tam multa joco quodam supponuntur, et minus acriter et egregie pristinam cogitandi rationem producere videtur. Quod si quidem Schellingius nova quædam in medium profert, formis sæpius utitur jam a se adhibitis. Quare verisimile est illos, qui metaphysicum ludum, et illum imprimis, quo Schellingius gaudet, minus probant, posteriorem hanc philosophiam peculiari studio prosequi non posse. Quæ tamen veteribus quidem formulis novum ordinem prænuntiat, cujus natura ea est, ut facta et res ipsæ magis respiciantur.

Quod si enim illam theologica specie destituis, qua quidam capti christianam libertatis doctrinam instituerunt [1], hoc imprimis superest et apparet, ita inchoatam

1. Ch. Secrétan, *La philosophie de la liberté.*

esse philosophiam, quæ apud Germanos « voluntarismus » appellatur. Etenim, quamquam arduum est demonstrare Schopenhauerum a Schellingio sententias haud per ambages et ex ipso fonte hausisse, multa eminent plane similia inter schopenhauerianam et posteriorem schellingianam philosophiam. Omittamus quidquid apud Schellingium reperitur de tragico quodam dolore, quo et natura et genus humanum laborant[1]; quod tamen hoc significat, jam Schellingium non illis hegelianis sententiis, quibus mundus sub boni specie consideratur, omnino assentire. Illud autem maximi momenti est, a Schellingio magis ac magis voluntatem tanquam substantiam rerum et fundamentum haberi. Jam antea, cum ille pantheismum flectere magis quam superare conaretur, aiebat hoc pantheismi parum interesse, sive res finitæ in infinita substantia, sive singulares voluntates in universali voluntate insint; tunc pantheismum quemdam offerre videbatur, qui voluntati innitebatur tanquam principio, et qui schopenhauerianum præsagiebat. Ut res expressius dicamus, appetitus ille vitæ qui, in *Tractatu de libertate*, divinam existentiam fundabat, illud quod postea infinitam existendi potentiam voluntatemque libentissime appellabat, nihil aliud videtur esse quam voluntas illa vivendi, quæ apud Schopenhauerum maximam partem obtinet. Immo apud eumdem intellectus et voluntas ita invicem se respiciunt, ut jure institui existimes discrimen illud, quod Schellingius inter negativam, qua formæ et essentiæ rerum perspiciuntur, et positivam

1. *Philosophische Untersuchungen über das Wesen der menschlichen Freiheit*, I, VII, p. 399. — *Die Weltalter*, I, VIII, p. 322, p. 335. — *Einleitung in die Philosophie der Mythologie*, II, I, p. 556.

philosophiam, qua res in se ipsæ comprehenduntur, admiserit.

Sed, sive schopenhaueriana e schellingiana quodam modo orta est philosophia, sive potius tantummodo se cum illa conferri patitur, constat philosophum, qui apud Germanos schopenhauerianam doctrinam, emendatam quidem, redintegravit, scilicet Hartmannum, appellavisse auctorem illum præsertim Schellingium positivæ philosophiæ studentem; quem ceterum, ut cum Hegelio reconciliatum, ita Schopenhauero affinem ille effingit [1]. Illud enim est proprium Hartmanni philosophiæ contendere, hinc, ut aiebat Schopenhauerus, principium existentiæ esse voluntatem, et e voluntatis illius natura dolorem præpotentem oriri, illinc spatium et tempus et intellectuales conceptus a Schopenhauero nimis negative expressa esse; inde fit ut adducatur ad ideam majore virtute instruendam : quo ad hegelianam doctrinam se pronum præbet. Sed hegelianus rationalismus, secundum illum, in hoc peccat, quod voluntatem mirum in modum ideæ subjicit atque individua finita nimis prætermittit et a proprio vitæ sensu alienat. Quare, cum voluntas, qualis apud Schellingium reperitur, scilicet cæca et rationis expers, ideam minime assequi valeat, cum contra idea, qualis apud Hegelium exstat, scilicet logica et abstracta, nihil sine voluntate adjuncta perficere possit, ea demum est posterior Schellingii philosophia, jam quidquid nimis theologicum vel fictum aversata, quæ in se maxime retinuit res inter se conciliandas. Quidquid id est, plane demonstravit Schellingius veram existentiam ad voluntatem revocari

1. E. v. Hartmann, *Schelling's positive Philosophie als Einheit von Hegel und Schopenhauer*, Berlin, 1869.

debere, intellectus autem solum esse mundi et rerum essentiam percipere.

Quod si licet res expeditius exponere (ceterum non est quod hic singula quæque diutius persequamur), Schellingii posterior philosophia, quatenus hegelianæ doctrinæ adversatur, opposita elementa in lucem profert, quibus constet quæstio usque explananda. Num possumus e dialectica cogitatione res, quales in se sunt, deducere? Aliis verbis, num res tales sunt, quales intellectu percipiuntur? Sed contra, si res ab intellectu segreges, quomodo fit ut sub intellectum cadant, et ad leges formasque, quas scientia requirit, sese accommodent? Si credas omnia ratione, dialectico quidem modo procedente, gigni posse, opus id profecto aggrederis, quod in se ipso bene ordinetur et cohæreat : num vero certo scis intellectus et rerum adæquationem stricte et ad extremum posse continuari? Nisi metaphysicæ audacter et tanquam credulo indulgeas, non fieri potest, ut disciplina tota et integra rerum repræsentatio ex uno principio per artem semper eamdem pendeat. Quod si magis atque magis patet singulares scientias, quamvis aliquo nexu conjunctas, tamen definitionibus et principiis propriis variari, sequitur, ut difficilius sit contendere, rationem nobis in promptu esse, quæ logico tantum motu omnia edere, vel solum assequi et digerere queat. Etenim, quanquam ad unum redigere omnia gestit, coacta est ratio, ut quasi in se discrimina multa admitteret, et in multiplicia se deduceret; inde oritur, ut non verisimile sit illam sponte res, quales sunt, posse in se amplecti et conglobare. Cum secum non extemplo coalescat, quomodo possit contendere in se rerum universitatem, concordem et unam, confundi vel resolvi? Qui vocatur

« panlogismus » habet sane, unde mentes alliciat; sed, cum mundum effingit sub specie continuæ idearum compagis, tum possumus, ut fit apud Gœthium, exclamare :

> Welch Schauspiel! aber ach! ein Schauspiel nur!

Non quo velimus rationem elevare, quæ scientiam condit; sed fieri potest, ut alius sit rationis usus atque ille, qui in generibus quibusdam rationalismi inest, usus scilicet criticus. Ex intellectu sane manant conceptus, quibus res disponuntur et connectuntur; sed conceptus illi tantum valent, quatenus e datis rebus quasdam excerpunt, ita ut, semet ipsos illis applicando, experientiam stricto sensu constituant. Inde fit ut minus per se definiantur conceptus, quam per usum, ad quem pertinent, res autem, non quales integræ in se sunt, sed jam abstractas et ad essentiam reductas comprehendant. Novissime dictitatum est scientiam minus res ipsas spectare quam objecta quædam, quæ e factis simul et notionibus penitus constant. Quapropter, si ita accepta ratio scientiæ fundamentum jure habetur, tamen extra res ipsas permanet. Dicas igitur non immerito, te a Schellingio non ita decedente, scientiam proprio nomine, quatenus in philosophiam se vertit, adversus mundum disciplinam tantum negativam esse.

Tunc intellegitur, quas ob causas mens, novo studio instincta, quid res ipsæ sint, inquirere conetur, omissis jam illis essentiis, quæ ad res scientia expediendas necessariæ sunt. Inde oriuntur illæ disciplinæ, quæ cupiunt scrutari existentiam ipsam, utpote logicis conceptibus priorem, quæ autem scientia res nimium simpliciter extenuatas et a se alienatas esse contendunt. Illas dicas

positivam philosophiam instaurare. Porro, quomodo existentiæ principium jam a cogitatione sejunctum appelles et definias, nisi tanquam appetitum quemdam vel voluntatem? Quod reipsa fit, et sæpissime Metaphysica, quæ res in se percipit, voluntarismus est : hoc autem etiam ad Schellingium quodam modo attinet. Sed illud quoque ad eum attinet, quod interdum dicitur voluntarismum experientia quadam lato sensu, scilicet integra aut immediata, comprobari. Respice enim ea, quæ declarat philosophus ille egregius, qui apud Germanos nunc etiam floret vigetque, Wundtius nomine; qui profitetur experientiam ab initio unam esse, sed deinde dividi, propterea quod ejusdem pars quædam, scilicet ea, quæ mentis perceptionibus significatur, conceptuum virtute in res externas convertatur, quas ideo non jam tanquam integras et puras habeas; contendit enim aliunde res, quatenus in se esse et deprehendi pergunt, eas esse, quæ subjecti sint, ideoque non conceptuali, sed actuali existentia præditas esse, easdem igitur tanquam voluntatibus penitus inhaerere. Inde fit, ut substantia immobilis, quæ tota ex intellectu pendet, et voluntas perpetuo agens, quæ ipsa res est, inter se opponantur [1]. Quapropter philosophus ille, quamquam de Schellingii philosophia strictim et severe locutus est, [2] ipse quoque peculiari quodam modo res, quatenus per conceptus et cognitionem abstractæ sunt, quatenus autem, in se ipsis spectatæ, actuales sunt et voluntatibus insunt, discrevit.

Hoc igitur laudi Schellingio tribuendum, quod experientiam latiorem mente concepit, quam qua utuntur empi-

1. Wundt, *System der Philosophie*, 2te Auflage, 1897, p. 377 sq., p. 405 sq. — *Logik*, 2te Auflage (1893-1895), II, II, p. 164 sq., p. 241 sq.

2. *Einleitung in die Philosophie*, 1901, p. 328,

rici; cujus proprium est, non facta solum, sed actiones etiam attingere. Quod ita experientiæ et libertatis congruentiam illustrat. Sed de his hactenus. Posteriore Schellingii philosophia jure existimes ea etiam confirmari, quæ metaphysicis disciplinis sæpe accidunt; sublimibus et arduis formulis involutas quasdam sententias illæ in se continent, quæ extrinsecus, et in severiorem sermonem conversæ, usu quodam certo, validiore quidem et tutiore, commendantur; verbis quoque nimium propriis novum cogitationum fore ordinem sæpe declarant. Profecto, cum Schellingius Hegelium tam acriter lacessebat, studebat præsertim suum pristinum discipulum, nunc autem æmulum ovantem, dejicere; sed, vocabulis adhibitis paulum obsoletis, saltem significabat hominum mentes jam nunc eo spectare, ut res, non per dialecticæ methodi normas, sed in se, per experientiam plus minus extensam, perspiciantur.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

die xxv mensis nov. ann. MCMII,

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi

Decanus,

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR,

Academiæ Parisiensis Rector,

L. LIARD.

INDEX

Paris. — L. MARETHEUX, imprimeur 1, rue Cassette. — 3351.


B1298
D4
140694